


BIBLIOTHEQUE
DE Mr
J. RENARD



29092. **Livres armoriés**. Inscriptiones Athleticæ nuper repertæ editæ et notis illustratæ ab Octavio Falconierio, quib. accesser. aliæ ex Africanis marmoribus recens descriptæ, una cum dissertatione de nummo Apamensi. Romæ, typ. Fab. de Falco, 1668. In-4, mar. rouge, fil., dent. inter., dos orné, tr. dor. (Reliure ancienne de Boyet). 45 fr.

Très bel exemplaire aux armes du prince Eugène de Savoie, un des plus grands bibliophiles de son temps. Les livres à cette provenance illustre sont très recherchés et se rencontrent rarement, la bibliothèque du prince Eugène de Savoie ayant été incorporée tout entière à la Bibliothèque Impériale de Vienne en Autriche. — Provenant des cabinets Ch. Giraud et J. Renard de Lyon.

Solar

Double de Vienne

INSCRIPTIONES ATHLETICAE

NVPER REPERTAE

Editæ & notis illuſtratæ

A B

OCTAVIO FALCONERIO.

Quibus acceſſerunt aliæ

E X

AFRICANIS MARMORIBVS

recens deſcriptæ.

VNA CVM DISSERTATIONE DE NVMMO APAMENSI.



ROMAE,

Typis Fabij de Falco. M. DC. LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.





IACOBO ROSPIGLIOSIO S.R.E. CARD. AMPLISSIMO.





Vnquam profectò ausus essem, IACOBE Cardinalis Amplissime, te reipublicę administrandæ, pro sublimi, quem in ea locum obtines, maximè intentum, vtcumque interpellare, atque ex adytis Pontificiæ cortinæ, in Athletarum palæstram spectatum auocare; nisi

compertum haberem, ad cæterarum laudum cumulum, quibus te eximiè florentem non modò Italia noſtra, ſed Europa ipſa vniuerſa ſuſpicit, ſingularem quoque inſitum tibi erga literas amorem; vt proinde non dubitem, quin tibi tot, ac tantis negocijs occupato, vt ocium deſit tractandis humanioribus diſciplinis, quibus vehementer delectaris, ſtudium certè patrocinio tuo alendis, fouendiſque minimè ſit defuturum. Qua in re habes non paucos, quos imitere in eodem olim, quo tu faſtigio collocatos, ac non tam autoritate, atque opibus, quàm clariſsimorum ingeniorum monimentis æternitati commendatos: quorum nonnulli parentum noſtrorum me-

moria, noſtraque hac ipſa ætate, egregiam ſibi laudem patrocinio literarum, ac literatorum hominum peperere. Atque illi quidem è tam multis, quibus promoueri ſolet id genus doctrinæ, quam Philologiam vocant, id in primis curauerunt, vt è ruderibus veteris Romæ, antiquis monimentis, inter quæ literata marmora non poſtremas obtinent, erutis, atque in lucem euocatis, presidium viris doctis, illudque non leue pararent ad ea ipſa ſtudia, quæ, vt vt aliter ſentiant ineruditi homines, atque inelegantes, & præclara ſemper ſunt habita, & verò rei etiam publicæ maximè vtilia, ac propemodum neceſſaria. Horum exempla (nam præclariſsima quæque facta,

quæ non æquet modò, ſed etiam ſuperet, tuum iſtum animum veręgloriæ auidum perpetuò ſecum agitare nemo ignorat) cùm tibi cognita, & probata ſcirem, facilè me adduci ſum paſſus, vt marmora hæc Athletica breui commentariolo illuſtrata tibi dicarem, tum vt operi commendatio, & gratia ab amplitudine nominis tui accederet; tum autem, vt eo à te, pro tua humanitate, in tutelam recepto, fauori auſpicium fieret, quem ſibi à te optimæ quæque artes, atque hæc ipſa antiquitatis ſtudia pollicentur. Iam verò quæ me præterea impulerint cauſſæ, vt hunc qualemcumque ingenioli mei fœtum tibi datum, dedicatumque eſſe vellem, facilè in-

telli-

telliges, Cardinalis Amplissime, nisi oblitus fueris insignium beneficiorum, quæ in fratrem olim meum auspicijs Catholici Regis in Hispania militantem, dum tu quoque illic ageres, contulisti, aliorumque, quibus familiam nostram singulari benignitate cumulare pergis. Ea cùm meo altè animo hæreant, haud cunctandum esse duxi, quin eo, quo potissimùm in præsentia liceret obsequij genere, obseruantiam erga te meam aperirem, summamque, quam cæpi animo lætitiam, te ad sublimem adeò dignitatis gradum euecto, publico hoc testimonio declararem. Deus Opt. Max. te patruo tuo CLEMENTI, Optimo, Sanctissimoque Pontifici diu seruet inco-

lumem,

lumem, vtrumque reipublicæ, vt il-
lo imperante, te pulcherrimorum
facinorum administro, ea nobis feli-
citate diutissimè frui liceat, quam
boni omnes ab auspicatissimi Pon-
tificatus initijs augurantur sibi; do-
ctique homines non aliam magis
scribendi materiam sumant, quàm
prędicationem laudum vestrarum.
Quod ad me attinet, toto vitę meę,
studiorumque meorum decursu id
in primis operam dabo, vt appareat
apud me vestri nominis, & vestro-
rum erga me meritorum nunquam
intermorituram esse memoriam.



LECTORI.



IDEM meam libero, candide Lector, quam in Dißertatione de Nummo Apamensi anno superiore edita publicè obligaueram de nostris in Inscriptiones Athleticas notis aliquando euulgandis; Eas hic habes cum illis ipsis Inscriptionibus; ad quarum lectionem antequam accedas, patere me nonnulla præfari, quæ cùm ad earum historiam pertineant à te ignorari minimè oportebat. Atque illa quidem præclara marmora ante octennium effossa in Hortis Canonicorum Regularium (vulgò S. Petri ad Vincula) circa quos fuisse Titi Thermas creditur. Prope eas Thermas extitisse olim Gymnasium Athletarum, quorum mentio in his Inscriptionibus vel locus ipse suadet, in quo reperta sunt hæc marmora: indéque id confirmatur, quod peritiores Antiquarij crediderunt, Titi Thermas vnas, easdemque fuisse, atque illas, quæ Traiani, aut Hadriani appellantur in monimentis veterum; nam id euinci videtur ex marmore Farnesiano, cu-

ius

Pag.3. *ius Inſcriptionem damus: in eo ſiquidem Antoninus Pius locum Aedi conſtruendæ, his ipſis Athletis adſignari iubet prope Thermas Diui Traiani aui ſui. Facit quoque ad adſtruendum huius Gymnasij ſitum, quòd Inſcriptiones è ſex hiſce marmoribus eodem loco effoſſis non eiuſdem æui ſunt, quod colligitur tum ex alijs multis, tum ex ipſa ſcriptura: vt inde inferre liceat, tot Athletica monimenta diuerſarum ætatum vix alibi in vnum cogi potuiſſe, quàm in Gymnaſio Athletarum. Neque quicquam veriſimilius, quàm huiuſmodi monimenta eorum memoriæ gratia, qui inſignes Athletæ fuiſſent, extitiſſe olim in Xyſto eiuſdem Gymnasij, ſiue illud latina ſignificatione accipias pro ambulatione ſubdiali, ſiue, qua notione eſt apud Græcos, Vitruuio autore, pro porticu, ampla latitudine, in qua Athletæ per hyberna tempora exercerentur. Vtrobique enim bellè collocari potuerunt, tum ornatus cauſſa, tum vt Gymnasij Athletæ alieno exemplo vehementius ad gloriam inflammarentur. Cæterùm illuſtria hæc marmora publico adſpectui reſtituit Flauius Chiſius Cardinalis ampliſsimus, qui ea decori eſſe voluit ædibus elegantiſsimis, quas nuper magnificis ſumptibus inſtaurauit. De eorum autem inſcriptionibus, vt paucis omnia complectar, haud verebor affirmare, vix præclarius quicquam hac tempeſtate, ex antiquæ Romæ ruinis*

pro-

prodijſſe, eruditis hiſce marmoribus, è quibus adeò multa ad Athletarum appellationes, officia, dignitates explicandas erui poſſe cognoſces; vt ſi ijs Farneſiana tria adiungantur, illud præſertim celeberrimum, quod eſt de victorijs M. Aurelij Aſclepiadis, ex ſolis lapidibus non vltimam rei Athleticæ partem illuſtrari poſſe facilè mecum ſentias: quod ego ſanè præſtare tibi pro mea tenuitate conatus eſſem, niſi hanc meſſem diligenter adeò feciſſent viri ſuperiore ſæculo eruditiſsimi, Petrus Faber, ac Hieronymus Mercurialis, vt vix aliis quicquam relictum ſit ad ſpicilegium. Mihi autem ea tantùm in obſeruationibus ad has Inſcriptiones adnotare conſilium fuit, quæ non tam ad rem Athleticam enucleandam, quàm ad Inſcriptiones ipſas obſcuris in locis explicandas facere, videbantur. Inſcriptionibus Athleticis bina addidimus Epigrammata, vtraque è marmorea baſi anno ſuperiore effoſſa in Cœnobio Carmelitarum, quod vocāt S. Martini in Montibus, quibus, ſi minus argumenti ſimilitudine, ob id certè non malè cum his Athleticis conuenire arbitratus ſum, quod eodem ferè loco ſint reperta, ac mihi tanquam fato quodam oblata, vt Inſcriptionibus hiſce Athleticis mantiſſæ loco adderentur. Demum, quod attinet ad Diſſertationem de Nummo Apamenſi, quā hic adiunctā habes, id vnū te ſcire volo, erudite lector, me in adſtruenda ſcriptura nomi-

nis

nis Noë ex literis, quæ in celebri illo Nummo extant, eius solùm partes suscepisse, qui rem, quæ facto in primis nititur, ratione, & coniecturis illustrare aggressus, de re ipsa minimè laboret. Illud non reticebo, coniecturæ meæ non parum præsidii attulisse V. Cl. Petrum Seguinum S. Germani Antissiodorensis Decanum postremis literis suis, quibus nunciat, se, Parisiensi illo nummo Seueri curiosius inspecto, nequaquam dubitare, quin in eo etiam ΝΩΕ *scriptum sit, cùm eius nominis duæ priores literæ manifestò appareant, tertiæ vestigia non obscura deprehendantur.*

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. Episc. Arimin. Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Magist.

OCTA-



OCTAVII FALCONERII
NOTAE AD INSCRIPTIONES
ATHLETICAS.

I.

Η ΙΕΡΑ ΞΥϹΤΙΚΗ ϹΥΝΟΔΟϹ ΤΩΝ
ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟΚΑΤΑΛΥϹΕωϹ
ΕΝ ΤΗ ΒΑϹΙΛΙΔΙ ΡωΜΗ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤωΝ
Μ ΟΥΛΠΙΟΝ ΔΟΜΕϹΤΙΚΟΝ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΞΥϹΤΑΡ
ΧΗΝ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ϹΥΜΠΑΝΤΟϹ ΞΥϹΤΟΥ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΝΕΙΚΗΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙωΝ ϹΕΒΑϹΤΟΥ
ΤΟΝ ΕΑΥΤωΝ ΠΡΟϹΤΑΤΗΝ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΠΡΕϹΒΕΥϹΑΝΤΑ
ΚΑΙ ΑΙΤΗϹΑΜΕΝΟΝ ΤΟ ΤΕΜΕΝΟϹ Τω ϹΥΜΠΑΝΤΙ ΞΥ
ϹΤω ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΘΕΝΤΟϹ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ
ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤωΝ
Λ. ΟΥΑΝΝΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ

Sacra Synodus Xystica (Athletarum) ad Herculem ab hospitio in Regina (vrbium) Roma habitantium M. Vlpio Domestico, Xystarchæ perpetuo, atque totius Xysti Pontifici, Paradoxo, Balneis Aug. Præfecto, Moderatori suo, ad petendam Aedem vniuerso Xysto legatione functo, statuam dedicante M. Mettio Amerimno.

Archontibus L. Vannio Agrippiano, & M. Mettio Amerimno.

Mirificam noſtræ huic inſcriptioni lucem commodant, ac viciſſim fænerantur geminæ aliæ, quæ extant in Aedibus Farneſianis, è quibus cùm tota inſignis huius marmoris hiſtoria facilè conſtet, eas ante omnia in medium afferre opportunum ducimus.

I.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ

ΑΥΤΟΚΡΑΤωΡ. ΚΑΙCΑΡ. ΘΕΟΥ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΠΑΡΘΙΚΟΥ. ΥΙΟC
ΘΕΟΥ. ΝΕΡΟΥΑ. ΥΙωΝΟC. ΤΡΑΙΑΝΟC. ΑΔΡΙΑΝΟC. CΕΒΑCΤΟC. ΑΡΧΙΕΡΕΥC ΜΕΓΙCΤΟC. ΔΗΜΑΡΧΙΚΗC. ΕΞΟΥCΙΑC. ΤΟ. ΙΗ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Γ.
ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟC. CΥΝΟΔω. ΞΥCΤΙΚΗ. ΤωΝ. ΠΕΡΙ. ΤΟΝ.
ΗΡΑΚΛΕΑ. ΑΘΛΗΤωΝ. ΙΕΡΟΝΕΙΚωΝ. CΤΕΦΑΝΕΙΤωΝ. ΚΑΙΡΕΙΝ.
ΚΑΙ. ΤΟΠΟΝ. ΕΝΘΑ. *ΒΟΥΛΕCΘΕ. ΚΕΛΕΥCω ΔΟΘΗΝΑΙ. ΥΜΕΙΝ. ΚΑΙ. ΟΙΚΗΜΑ. ωC. ΤΑ. ΓΡΑΜΜΑΤΑ. ΑΠΟΤΙΘΕCΘΑΙ. ΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΚΑΙ. ΕΙ. ΤωΝ. ΔΙΠΛωΝ ΤΑΝ. ΜΕΤΑΠΟΙΗΣΙΝ ΑΝΑΝΚΑΙΑΝ. ΝΟΜΙΖΕΤΕ. ΤΟΥΤΟ. ΕΦ. ΥΜΕΙΝ. ΕCΤΙΝ.
ΕΠΡΕCΒΕΥΕΝ. ΟΥΛΠΙΟC. ΔΟΜΕCΤΙΚΟC. ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ.

ΠΡΟ. Γ. ΝωΝωΝ. ΜΑΙωΝ. ΑΠΟ. ΡωΜΗC.

. . . .

*βȣλέυεσθε hìc pro βούλεσθε legiſſe videtur Faber, qui hæc de loco, in quo deliberarent, ac veluti Curia Athletarum interpretatur l. 1 Agoniſt. cap. 16.

ΑΓΑ-

2.

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ.

ΑΥΤΟΚΡΑΤωΡ. ΚΑΙCΑΡ. ΘΕΟΥ. ΑΔΡΙΑ-
ΝΟΥ. ΥΙΟC.
ΘΕΟΥ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΠΑΡΘΙΚΟΥ. ΥΙωΝΟC.
ΘΕΟΥ. ΝΕΡΟΥΑ.
ΕΓΓΟΝΟC. ΤΙΤΟC. ΑΙΛΙΟC. ΑΔΡΙΑΝΟC.
ΑΝΤωΝΕΙΝΟC.
CΕΒΑCΤΟC. ΑΡΧΙΕΡΕΥC. ΜΕΓΙCΤΟC.
ΔΗΜΑΡΧΙΚΗC. ΕΞΟΥCΙΑC
ΤΟ.Γ. ΑΥΤΟΚΡΑΤωΡ. ΤΟ.Β. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ.
Γ. ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟC. CΥΝΟΔω
ΞΥCΤΙΚΗ. ΤωΝ. ΠΕΡΙ. ΤΟΝ. ΗΡΑΚΛΕΑ.
ΑΘΛΗΤωΝ. ΙΕΡΟΝΕΙΚωΝ. CΤΕΦΑ.
ΝΕΙΤωΝ. ΧΑΙΡΕΙΝ.
ΕΚΕΛΕΥCΑ. ΥΜΕΙΝ. ΑΠΟΔΕΙΧΘΗΝΑΙ.
ΧωΡΙΟΝ. ΕΝ. ω. ΚΑΙ. ΤΑ ΙΕΡΑ. ΚΑΤΑ
ΘΗCΕCΘΕ. ΚΑΙ. ΤΑ. ΓΡΑΜΜΑΤΑ. ΠΡΟC.
ΑΥΤΑΙC. ΤΑΙC. ΘΕΡΜΑΙC. ΤΑΙC. ΥΠΟ.
ΤΟΥ. ΘΕΟΥ. ΠΑΠΠΟΥ. ΜΟΥ. ΓΕΓΕΝΗΜΕ-
ΝΑΙC. ΟΠΟΥ. ΚΑΙ. ΜΑΛΙCΤΑ. ΤΟΙC
ΚΑΠΙΤΟΛΕΙΟΙC. CΥΝΕΡΧΕCΤΕ. ΕΥΤΥ-
ΧΕΙΤΕ. ΕΠΡΕCΒΕΥΕΝ.
ΟΥΛΠΙΟC. ΔΟΜΕCΤΙΚΟC. ΕΠΙ. ΒΑΛΑ-
ΝΕΙωΝ. ΜΟΥ
ΕΓΡΑΦΗ. ΠΡΟ. ΙΖ. ΚΑΛ. ΙΟΥΝ. ΑΠΟ.
ΡωΜΗC. ΤΟΡΚΟΥΑΤω. ΚΑΙ. ΗΡωΔΗ. ΥΠΑΤ.

P.CCCXV. 9. & CCCXVI.1

Has nescio quis ita latinè reddidit apud Gruterum.

1.

Bonum Factum.

*Imperator Cæsar Diui Traiani Parthici filius, Diui Neruæ nepos Traianus Adrianus, Pontifex Maximus, Tribuniciæ potestatis XVIII. Cos.III. P. P. Congregationi Palestricæ eorum qui circa Herculem Athletarum sacrorum victorum coronatorum, salutem. Etiam locum vbi vultis iubebo dari vobis & domum ad recondendas tabulas publicas, & si * duplicium transmutationem necessariam putatis, hoc in vobis est. Legationem obijt Vlpius Domesticus. Valete. Pridie III. Non. Maiarum. Roma.*

* *Rectiùs Faber Agonist.lib.3. cap. 27.* libros, *seu* regesta publica, *hic vertit.*

2.

Bonum Factum.

Imperator Cæsar Diui Adriani filius, Diui Traiani Parthici nepos, Diui Neruæ pronepos. T. Aelius Adrianus Antoninus Augustus, Pontifex Maximus, Tribuniciæ potestatis III. Imperator II. Consul. III. Pater Patriæ Conuentui Palestricæ, qui sunt circa Herculem Athletis, sacris victoribus coronatis, salutem.

Iussi vobis demonstrari locum, in quo & sacra deponatis, & Tabulas prope ipsas Thermas, quæ à Diuo auo meo extructæ sunt; vbi etiam maximè (in ludis) Capitolinis conuenitis. Feliciter valete.

*lete. Supplicauit Vlpius Domesticus * in Balneis meis.*

* Balneis meis Praef.

Scripta ante XVII. K. IVN. Romae Torquato, & Herode Coss.

Habes itaque à duobus Farnesianis marmoribus nostri huius dedicandi occasionem, atque eius etiam ætatem, si illa cum isto conferas. Obierat legationem apud Hadrianum M. Vlpius Domesticus nomine Athletarum ad Herculem habitantium (eos posthac breuitatis gratia Athletas Herculaneos appellabimus) ad petendum locum sacris, ac tabulis etiam publicis Synodi Athleticæ condendis, vt conijcere est ex priori inscriptione, in qua Imperator locum, & tabularium Athletis nostris benignè pollicetur. Sed re tunc, nescio quo casu, ad effectum minimè adducta; non nisi sub Antonino Pio anno eius Imperij III. Athletæ voti compotes facti, quibus, vt habet inscriptio secunda Farnesiana, Antonini eiusdem rescripto a. XVII Kal. Iun. dato Torquato, & Herode Coss. locus adsignatus est prope Thermas Diui Traiani. Ex quo manifestum est monumentum hoc M. Vlpio Domestico à Synodo Xystica Herculaneorum positum fuisse non Hadriani quidem temporibus, vt censuit Vir doctus, sed imperante Antonino, à quo demum, quod Hadrianus Athletis Herculaneis pollicitus antea fuerat, imple-

impletum eſt; niſi quis ſibi perſuadeat decretam ab ipſis ſtatuam M. Vlpio Domeſtico, antequam eius opera quod petebant ab Imperatore obtinuiſſent, quod nequaquam veriſimile eſt. Quod verò in hoc ipſo marmore Torquatus,& Herodes Coſſ. habentur admonet me, vt vſum qui inſignis eſt veterum lapidum in ratione temporum explicanda, aut illuſtranda, hoc loco non contemnam: eius namque teſtimonio euincitur in Conſulatu Torquati, & Herodis cum annis Antonini comparādo Scriptores omninò omnes erraſſe, quotquot in Faſtis componendis, aut corrigendis operam nauarunt; quorum alij illum in annum imperij Antonini primum coniecerunt, vt Caſſiodorus, atque eius interpres Cuſpinianus; alij verò in ſextum, vt Autor Faſtorum Siculorum, & Chronici Alexandrini, atque ex recentioribus ferè omnes; cùm interim manifeſtò hinc conſtet Torquatum, & Herodem Coſſ. fuiſſe anno Trib. Pot. Antonini, hoc eſt eius imperij III. adeòque anno Chriſti non CXLIII. vt volunt Petauius,Caluiſius, & alij paſſim,aut CXLV. vt apud Cuſpinianum in Commentarijs ad Caſſiodori Chronicon; ſed CXL. ſi ſentiendum ſit cum Scaligero,qui initium Antonini confert in annum Chriſti CXXXVII; aut CXLI. ſi Petauio adſtipulari præſtet, qui Antoninum imperare

In Euſebiā. Pag. 354. ad Num. MMCLIV.

rare cæpiſſe anno Chriſti CXXXVIII. certiſſimis argumentis oſtendit. Hinc etiam turbatum aliquid in Faſtis circa priores tres Antonini annos haud dubiè colligitur. Nam inter Conſulatus Antonini II. & Brutij Præſentis, ac Torquati, & Herodis tria vulgò Conſulum paria conijciuntur, Antoninus nempe III. & M. Aurelius; Seuerus, & Silanus; Rufinus, & Quadratus: cùm tamen non niſi vnum (de Ordinarijs loquor, quorum in digerendis Faſtis ratio habetur) inter geminos hos Conſulatus intercedere potuerit; Antonini enim II. & Brutij Præſentis Conſulatus ita ad annum primum eiuſdem Antonini referendus eſt, vt tamen non niſi à Kalendis Ianuarijs anni Iuliani ſequentis, cuius dimidium ad primum imperij Antonini pertinet, cæpiſſe dicendum ſit. Præcedenti quippe anno, quo Hadriano vita functo VI. Id. Iul. imperium capeſſit, Antoninus, Sulpiciũ Camerinum, & Quinctium Nigrum Coſſ. rectè habent Faſti; neque aliàs in Nummis, & Lapidibus primo Imperij anno COS. DES. II. Antoninus appellari poſſit. Ac proinde rectè Scaligerum notat Petauius, quod Antonini II, & Brutij Præſentis Conſulatum ex Cenſorino comparauerit ad annum Chriſti CXXXVIII. cùm verè in CXXXIX. inciderit. Cùm igitur annus Antonini primus iuxta ordinem Faſtorum Con-

Lib. II. de Doctr. Tẽp. cap. 21.

Lib. II. de Doctr. Tẽp. cap. 21.

ſules

ſules ſuos habeat Antoninum II, & Brutium Præſentem, tertius verò Torquatum, & Herodem teſtimonio marmoris huius Farneſiani; inter hæc duo Conſulum paria non niſi alteri, qui ſecundum Antonini annum impleat locum fieri potuiſſe planum fit. Illud verò decernere quodnam ex tribus his, quæ vulgò in Faſtis nominantur retinendum ſit, anceps ſanè negotium eſt. Nam Conſules ordinarios à ſuffectis diſtinguendi incerta admodum ratio; neque ſemper tutum Conſules ex veteribus lapidibus aſserere, cùm in ijs eos aliquando Conſules notatos reperire ſit, quos ſuffectos tantùm fuiſse aliunde conſtat; idque conijcere etiam liceat ex nonnullis inſcriptionibus, in quibus ordinarij Conſules à ſuffectis apertè diſtinguuntur; vt in inſcriptione Romana in qua: FERETRVM . FIERI . PLACET . IVBENTIVS . CELSVS . PROMAGISTER . SVBSCRIPSI . III. NON. NOEMB . ANTIO . POLLIONE . ET . OPIMIANO . KOS . ORDINARIS . SEVERO . ET . SABINIANO . COS. Illud autem mirari ſubit, cur Panuinius Caſſiodori potiùs, & Faſtorum Græcorum autoritatem ſecutus, quàm huius ipſius Inſcriptionis, quam profert ad annum DCCCCVIII. Seuerum, & Sabinianum Conſules ordinarios fecerit, non Pollionem, & Opimianum, quos Conſules

In Theſ. Grut. pag. DCVII. 1.

In Comm. Faſt.

ſules

ſules ordinarios fuiſſe diſertè teſtatur hic lapis; ipſe verò neſcio quibus rationibus adductus Conſules ſuffectos ponit ex Kal. Nouembr. In eodem verò lapide ea deprehendere eſt, quæ de Conſulibus notat Dio; τότε δὲ ἐνιαύσιος μὲν οὐδεὶς ᾑρέθη, πρὸς δὲ δὴ τὰ τοῦ χρόνου μέρη ἄλλοι, καὶ ἄλλοι ἀπεδείχθησαν. καὶ οἱ μὲν πρῶτοι καὶ τὸ ὄνομα τῆς ὑπατείας διὰ παντὸς τοῦ ἔτους, ὥσπερ καὶ νῦν γίγνεται, ἔσχον. τοὺς δ' ἑτέρους αὐτοί τε οἱ ἐν τῇ πόλει, τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ ἐν ἑκάστῳ τῷ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν χρόνῳ ὠνόμαζον (ὃ καὶ νῦν ποιεῖται) οἱ δὲ λοιποὶ ἢ τινὰς αὐτῶν, ἢ οὐδένας ᾔδεσαν, καὶ διὰ τοῦτο σμικροτέρους σφᾶς ὑπάτους ὑπεκάλουν. *Tùm verò* (Auguſto nimirum imperante) *annuus Conſul nullus eſt creatus; ſed alij ad alias partes temporis deſignati, quorum primi nomen Conſulum per totum annum gerebant, vt nunc quoque fit, alios ij, qui Romæ, aut in Italia erant ſui quemque magiſtratus tempore Conſulem nominabant, quod ipſum etiam hodie obſeruatur; reliqui aut nonnullos eorum, aut nullos nouerant, ideòque eos Conſules minores appellabant.* Huiuſmodi eſt quod in hac inſcriptione Pollio, & Opimianus tamquam ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμοι notantur, Seuerus verò, & Sabinianus tamquam Conſules eius temporis, quo monumentum illud poſitum eſt. Perperam igitur fecerunt qui promiſcuè Conſules illos, quorum mentio in antiquis marmoribus, ve-

luti ex tabulis Capitolinis prolatos, Fastis adscripserunt. Quod si & huius Dionis loci, & eius ipsius Inscriptionis, quam citat, rationem habuisset Panuinius, non vnico veteris lapidis testimonio de Consulibus ad Fastos ordinandos creandis statuendum sibi esse cognouisset, quod ille sæpius quidem fecit, & in his ipsis Consulibus, de quibus nunc quæstio est: nam anno Vrbis DCCCXCIV. M. Peducæum Sylogam Priscinum, & T. Hœnium Seuerum, anno verò DCCCXCV. L. Cuspium Rufinum, & L. Statium Quadratum Consules statuit indicio lapidum antiquorum, in quibus illi quidem Consules nominantur; sed ordinarij ne,an suffecti incertum.Huic verò vsui ab vsque Augusti temporibus recepto, vt ex Dione vidimus, intermediũ anni tempus diuersis Consulum nominibus notandi, tribuendum videtur quod nõ raro suffecti Consules pro ordinarijs in Fastos irrepserint, vt iam obseruarunt Viri docti, atque inter eos precipuè is, qui in ratione Temporum illustranda insignem operam nauauit Ioannes Fridericus Heruart in suis Chronologicis. Idque sanè malum eò altiùs inualuit,quod cùm inueteratum iam esset ab antiquis temporibus ei quoque obnoxij fuerunt veteres Scriptores, quibus præcipuè vtimur in Fastis adornandis, aut corrigendis. Vetus namque est Dionis de

Cap.CCIV

Iulio

Iulio Cæſare querela, quòd ſufficiendo ſibi in Conſulatu Q. Fabium, ac C. Trebonium, Fabioque extremo magiſtratus ſui die Caninium illum, in quem de Conſulatus breuitate celebre extat Ciceronis cauillum, inſtituta maiorum primus labefactauerit, ex quo factum vt deinceps perpauci toto anno Conſulatum gererent; ſed alij pauciores, alij plures menſes, dieſque. Quæ quidem Conſulum eodem anno multiplicitas (nam ad XXV. vno anno Commodum creaſſe narrat Lampridius) cùm non parum, vt eſt veriſimile ijs, qui res geſtas literis mandabant negotij faceſſeret, Dionem impulit, vt poſt narratum ſæculi ſui morem in Conſulatu gerendo, quem nemo ad integrum annum, aut duobus ampliùs menſibus retinebat, quò huic confuſioni, quantum ad diſtinguenda hiſtoriarum ſuarum tempora opus erat occurreret, in hæc verba præfaretur. Καὶ ἐγὼ μὲν ὅσων τῶν ἄλλων τοὺς τοῖς πράγμασιν ἀναγκαίως ὀνομάσω. πρὸς δὲ δὴ τὴν τῶν αὖ πραττομένων δήλωσιν, τοὺς πρώτους ἄρξαντας, κἂν μηδὲν ἔργον ἐς αὐτὰ παράσχωνται. *Atque ego quidem aliorum Conſulum, quoties id res ipſæ exigent, mentionem faciam. Ad ea verò, quæ curſu rerum ordinario fiunt explicanda Conſules illos ponam, qui anni initio Magiſtratum obtinuerunt; licet nihil ipſi ad eas res contulerint.* Quod ſi mihi in reſtituendis hìc Faſtis coniectura agere liceat, è tribus

Lib. 43.

illis Consulum paribus, qui vulgò ponuntur ante Torquatum,& Herodem Consules, nullum aliud libentiùs retinuerim, quàm quod est Antonini III. & Aurelij Cæsaris, adductus ad id diserto Capitolini testimonio, qui hæc de M. Antonino. *His ita gestis adhuc Quæstorem, & Consulem secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit, & Seuirum turmis Equitum Romanorum iam Consulem designatum creauit.* Quæ non nisi de tertio Antonini Consulatu intelligi possunt; nam paulò post de eodem Capitolinus: *secundùm etiam Consulem*(Antoninus)*designauit, cùm ipse quartùm pariter iniret.* Tertium vero Consulatum ab Antonino initum ante annum eius imperij tertium, aut eo saltem labente indicat marmor Farnesianum, in quo ille III. Cos. III. Trib. Pot. anno appellatur. Neque illud magnopere sanè moror, quod ad coniecturam meam labefactandam obijciat fortasse aliquis, Antoninum, & M. Aurelium Consules suffectos fuisse, non ordinarios; quod adstrui etiã possit Domitiani exemplo, quem in sex Consulatibus vnum tantùm ordinarium gessisse narrat Suetonius in eius Vita. Nam præterquam quod Imperatores raròadmodum Consulatus alios, quàm ordinarios suscipere erant soliti, idque præsertim vsque ad M. Antonini tempora, sub quo non dum cæperant ludibria

In eius Vita.

illa

illa Consulatuum; eum Consulatum, si quem alium ordinarium gessisse Antoninum verisimile mihi videtur, quem cum M. Aurelio suscepit paulò ante Cæsare renunciato, ac tum primùm Consule. Vix enim credibile est, eum, qui adoptionis lege ab Hadriano data, ac Cæsaris appellatione ad successionem Imperij destinabatur, ijs se primùm Consulibus adscribi voluisse, quorum ne nomina quidem Fastis adscribebantur. Quod autem in sex Consulatibus vnum tantùm ordinarium gesserit Domitianus, vt rem sanè inusitatam refert Suetonius; notandumque præterea Consulatus illos gestos à Domitiano adhuc Cæsare, vt constat ex Nummis, in quibus nunquam ille ante vi. Consulatum Augusti, ac Trib. Pot. titulis insignitus legitur; falsusque est Occo, vt alias sæpe, qui vnum aureum profert cum inscrip. IMP. DOMIT. AVG. P. M. COS. II. Postea verò quàm ad Imperium peruenit, Consulatus non nisi ordinarios cæpisse Domitianum suadent illa Suetonij eiusdem de ipso: *Consulatus xvi cæpit, quod ante eum nemo, ex quibus septem medios continuauit, omnes autem penè titulo tenus gessit, nec quemquam vltra Kalendas Maij, plures, ad Idus vsque Ianuarias.* Vbi quod omnes penè Consulatus titulo tenus gesserit, haud aliter accipiendum reor, quàm illum Consularis dignitatis appellatione contentum

aucto-

auctoritatem, & munia Consulatus neglexisse; quemadmodum eodem planè loquendi modo de Cæsare narrat Suetonius idem his verbis: *Tertium, & quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate decretæ cum Consulatibus simul, atque vtroque anno binos Consules substituit sibi in ternos nouissimos menses*. Quos igitur Consulatus titulo tenus gessit Domitianus non alios, quàm ordinarios fuisse rationi consentaneum est, qui quòd in Fastis notarentur propriè appellationem Consulis dabant; atque hinc erat quod ordinariorum Consulum nomina, vt ex Dione didicimus, per integrum annum retinerentur. Iam verò quando opportunè hìc huius Suetonij loci mentio incidit, haud abs re fuerit inuestigare, quæ nam eius sit mens in illis: *ex quibus* (Consulatibus nempè XVII.) *septem medios continuauit*, quæ cùm haud parum obscura sint, silentio tamen prætereuntur ab omnibus eius Autoris interpretibus. Quinam igitur Consulatus illi septem, quos medios continuasse Domitianus à Suetonio dicitur? An quos alijs suffectus ad reliquum anni tempus medios, hoc est dimidiatos gesserit; an potiùs quos Kalendis Ianuarijs initos, ad anni dimidium continuauerit, hoc est, retinuerit? Sed præterquam quod vterque loquendi modus barbariem planè saperet, atque à Suetonij stylo

In Iul. Cæs.

lo

lo abhorreret; neq; ſepties ſuffectus eſſe Conſul potuit Domitianus, qui ſemel in ſex Conſulatibus, quos cæpit ante imperium ſuſceptum, poſtea verò, ſi Dioni fides, ἔτη δέκα ἐφεξῆς Conſul, non alius veriſimiliter, quàm ordinarius fuit; neque ſepties Conſulatum ad anni dimidium retinuiſſe, qui, Suetonio ipſo teſte, nullum vltra Kalendas Maias retinuit. Igitur, quod ſupereſt, Domitianus Conſulatus ſeptem medios continuauit, hoc eſt, à ſexto ad duodecimum continenter geſſit; ſed his apertè reclamat Dio, qui non ſeptem, ſed decem, vt diximus, perpetuos Conſulatus Domitiano adſcribit, & Auſonius, cuius hæc ſunt in gratiarum actione pro Conſulatu ad Gratianum. *Scis enim, Imperator doctiſſime, rurſum enim vtar laude priuata, ſcis, inquam, ſeptem, ac decem Domitiani conſulatus, quos ille inuidia alios prouehendi continuando conſeruit ita in eius auiditate deriſos, vt hoc eum pagina faſtorum ſuorum, immo faſtidiorum fecerit inſolentem, nec potuerit præſtare felicem.* Cui verò memoratorum Scriptorum fides habenda, & num germana hæc ſit huius loci interpretatio, videant doctiores, quibus nodi huius ſoluendi partes relinquimus: nobis illum indicaſſe, atque aliquatenus tentaſſe ſufficiat. Vt verò tandem ad lineas noſtras Athleticas redeamus, obſeruatione dignum, quod Anonymus in Catalogo Olympiadum,

piadum, quem Scaliger edidit in Eusebianis, veluti ex hac ipsa inscriptione Farnesiana de loco, atque Aede Athletis Herculaneis concessa, hæc adnotat ad annum III. Olympiadis CCXXX. Συνόδῳ Ξυστικῇ τῶν περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀθλητῶν ἱερονικῶν στεφανιτῶν τόπος καὶ οἴκημα ἐδόθη πρὸς Θέρμαις Τραϊαναῖς. *Synodo Xysticæ Athletarum ad Herculem* (habitantium) *hieronicarum coronatorum locus, & ædes data est apud Thermas Traianas.* Fallitur verò quod hæc refert ad annũ III. Olympiadis CCXXX, non ad IV. Olympiadis CCXXIX. quo illa verè contigerunt. Atque illi quidem erroris occasio, quod Consulatum Torquati, & Herodis communi cum veteribus etiam Chronologis metachronismo, ad sextum Antonini annum comparat, non ad tertium, vt in marmore Farnesiano. Neque alioquin noster in ratione temporum obseruanda adeò diligens, vt eius auctoritatem morari valde debeamus. Nam ad eiusdem Olympiadis CCXXX. annum primum hæc ille. Εμβῆς πατὴρ τῆς τῶν Παιανιστῶν τάξεως ἐτιμήθη προτομῇ μαρμαρίνῃ τῇ ΙΑ Παχών. *Embes pater ordinis Pæanistarum honoratus est Protome* (hoc est effigie vmbilico tenus) *marmorea* (die) XI. (mensis) *Pachon.* Quod
p.CCCXIV 2. quidem falsum esse ex Inscriptione ipsa colligitur, illi olim monumento apposita, cuius exemplum extat apud Gruterum.

H IE-

Η ΙΕΡΑ ΤΑΞΙϹ ΤωΝ ΠΑΙΑΝΙϹΤων

ΤωΝ ΕΝ ΡωΜΗ ΔΙΟϹ ΗΛΙΟΥ

ΜΕΓΑΛΟΥ ϹΑΡΑΠΙΔΟϹ ΚΑΙ ΘΕωΝ

ϹΕΒΑϹΤωΝ ΕΤΕΙΜΗϹΑΝ ΕΜΒΗΝ

ΠΡΟΦΗΤΗΝ. ΠΑΤΕΡΑ ΤΗϹ ΠΡΟ

ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΗϹ ΤΑΞΕωϹ ΠΡΟΤΟ

ΜΗ ΜΑΡΜΑΡΙΝΗ. Η. ΑΝΑΤΕΘΕΙϹΑ

ΕΝ Τω ΟΙΚω ΤωΝ ΠΑΙΑ

ΝΙϹΤων ΤΗ Π. Α. ΝωΝωΝ

ΜΑΙωΝ. Η. ΕϹΤΗΝ ΚΑΤΑ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙϹ. ΠΑΧωΝ ΙΑ

ΕΠΙΚΟΥΡΑΤΟΡΟϹ ΜΕΤΕΙΛΙΟΥ

ΑΜΠΛΙΑΤΟΥ ΠΡΕϹΒΥΤΕΡΟΥ

ϹΕΞΤω ΕΡΟΥΚΙω ΚΛΑΡω

Β. ΓΝΕω. ΚΛΑΥΔΙω

ϹΕΒΗΡω ΚωϹ.

Sacer ordo Pæaniſtarum, qui Romæ Iouis Solis Magni Sarapidis, & diuorum Auguſtorum (appellantur) honorarunt Emben Prophetam Patrem ſupraſcripti Ordinis Protome marmorea, quæ poſita eſt in domo Pæaniſtarum pridie Non. Maij, qui dies ſecundùm Alexandrinos Pachon XI. Curatore Meteilio Ampliato Seniore. Sex. Erucio Claro II. Gn. Claudio Seuero Coſ.

Conſulatus Sexti Erucij Clari II. & Gnei Claudij Seueri, cuius hìc mentio congruit anno II. Olympiadis CCXXXI, adeòque eodem anno notanda erant illa de Embe Propheta,

quæ perperam noſter quinquennio ante acta refert. Eiuſdem farinæ eſt quod Seueri Natalem refert ad annum IV. Olympiadis CCXXX. quem his ipſis Conſulibus accidiſſe autor eſt Spartianus. Illud rectè quod Πάχων ιά habet non Παχωνιά, quemadmodum legiſſe oportet qui in latina huius Inſcriptionis interpretatione *Pachonia* reddidit, non Pachon XI. vt oportuerat, cuius quoque imperitiæ eſt quod ΔΙΟΣ *Dei*, non I*ouis* vertit, προτομὴν μαρμαρίνην *ſtemma marmoreum*, pro *protome*, ſeu effigie marmorea vmbilico tenus, & πρεσβύτερον presbyterum, pro Seniori, qui hìc, vt ſuſpicor, honoris appellatio, qualem hodiéque vulgò Decanum vocant. Sed neque hac accuratiores ſunt Græcarum inſcriptionum interpretationes, quæ paſſim extant in Theſauro Gruteri, cuius ſanè diligentia in hoc vehementer deſideratur. Nos ad Athleticæ noſtræ explicationem pergamus.

Η ΙΕΡΑ ΞΥΣΤΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ. Sacram olim rem veteribus fuiſſe Agones Gymnicos notum eſt. Hinc ἱεροὶ ἀγῶνες, ἱερὰ γυμνάσια, ἱερονῖκαι: & alia huiuſmodi apud Scriptores, vbi de ludis Græcorum ſermo, vt & ΙΕΡΟΣ ΑΓΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ in Nummo Commodi ex Muſeo Gottifredi. Hinc & Synodus iſta Xyſtica Athletarum Herculaneorum ἱερὰ appellata, quam quidem appellationem Ordini

etiam

etiam Pæaniſtarum tributam vidimus in In-
ſcriptione paulò ante allata. Cæterùm Syno-
dus apud Græcos idem aliquando, quod apud
Romanos Collegia, aut Corpora. Sic in mar- *Apud Grut. p.CCCIX. 1.*
more Veneto Η ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΜΥ-
ΣΤΩΝ. ΤΗΣ. ΜΕΓΑΛΗΣ. ΘΕΑΣ. ΘΕΣΜΟ-
ΦΟΡΟΥ. ΔΗΜΗΤΡΟΣ. *Collegium Sacerdo-*
tum magnæ Deæ legiferæ Cereris; ſic Strabo, vbi *Lib.XVII.*
de Muſeo Alexandrino: ἔστι δὲ τῇ Συνόδῳ ταύτῃ
καὶ χρήματα ἱερὰ, καὶ ὁ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ μουσείῳ
τεταγμένος. *Eſt huic Synodo pecunia ſacra, &*
Sacerdos Muſeo præfectus. σύνοδον vocat Col-
legium Philologorum, qui in Muſeo Alexan-
drino alebantur, de quibus opportunius ſuo
loco. Synodum verò abſolutè Xyſticorum, ac
etiam Scenicorum dictam fuiſſe autor eſt Sal- *Pag. 39.*
maſius in Commentario ad Hiſtoriæ Auguſtæ
Scriptores. Ac de Xyſticis quidem argumen- *Pag. CCCXIII. 8.*
to eſt ſequens inſcriptio ex Theſ. Gruteri.

L. AVRELIO
APOLAVSTO ΜΕΜΦΙΟ
AVGG. LIB. HIERONICAE
CORONATO. ET. TON. ΔΙΑΠΑΝ
DON. APOLLINIS. SACERDOTI
SOLI. VITTATO. ARXIERI
SYNHODI ET AVGG.
L. AVRELIVS
PANNICVLVS. QVI ET
SABANAS. PATRONO
OPTIMO.

Et σύνοδον quidem in Inſcriptionibus Farneſianis *Congregationem* vertit earum Interpres. Nos proprium rei ipſius vocabulum retinere maluimus, quo & vſus eſt Tertullianus in Apologetico, ſi vera eſt Salmaſij lectio, quo loco de Antinoo loquens: *quum de Pædagogijs* (ait) *neſcio quem Synodi Deum facitis*. Ita veteris Codicis teſtimonio legit ille non, *cinædum*, vt habent vulgati. Hunc ipſum verò locum fuit cùm aliquando de Synodo Xyſtica intelligendum voluit idem Salmaſius, apud quam nimirum Antinous pro Deo coleretur, cui & Templa decreta ab Hadriano, & Agones Gymnicos inſtitutos haud ignorant eruditi. Verùm mutata deinde ſententia ad Antinoum in Synodum Deorum relatum hæc referenda eſſe maluit in ijſdem ad Hiſtoriam Auguſtam commentarijs, vbi multa eruditè de CONCILIO, COLLEGIO, CONSESSV DEORVM ex Monumentis veterum: ſed hæc nihil ad nos.

Cap. XIII.

ΤωΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ. Non fefellerunt Petri Fabri diligentiam effoſſa ſuperiori ſæculo marmora Farneſiana, quorum iam meminimus. In ijs, vt vidimus, eorumdem, quorum hic τῶν περὶ τὸν Ηρακλέα ἀθλητῶν mentio fit. Horum ille Σύνοδον, *Collegium Herculaneorum*, aut eorum, qui circa Herculem eſſent interpretatur, neque verò

alios

alios esse putat, quàm quos cultorum Herculis vocabulo significatos profert ipse ex antiqua hac Inscriptione.

LOCA
SEPVLTVRAE
CVLTORVM
HERCVLIS
VICTORIS
IN FVNDO
DOMITIANO
IN FR. P. CXX.
IN AGR. P. LV.
M. M. ANIMISI.
PRISCVS
PRISCIANVS
DONAVERVNT

Extat in Thes. Grut. p. CCCXV.

Itaque in Farnesiana inscriptione huic Athletarum Synodo, Herculaneorum, quod ipse ijs tribuit cognomen, non aliunde petitum, quàm à cultu, aut tutela Herculis credidisse videtur Faber, in eam opinionem adductus dum, vt fit, omnia ad propositum suum trahere conatur. Multa namque ille, ac sanè præclara in Agonistico suo de Ludorum Gymnicorum origine, atque etiam religionibus habet, vbi de Mercurio, atque Apolline Enagonijs, hoc est, Gymnicorum Agonum

Agonist. l. 1. cap. XVIII.

præ-

præſidibus, tum verò de Amore, ſeu Cupidine, cuius ſignum non vulgari Theologiæ Gentium myſterio Herculi, & Mercurio in Gymnaſijs adiunctum ex Euſtathio, & Pauſania docet, apud quem, Theſeum quoque inter Deos Paleſtræ tum à Græcis, tum à Barbaris habitum ipſe obiter obſeruo. Præcipuum verò rei Athleticæ autorem, ac præſidem Herculem, & rectè quidem, agnoſcit Faber: quamobrem vt ludos Gymnicos ab Hercule, Herculaneos, Herculeos, Heracleoticos vocatos fuiſſe compertum habuit; ita Athletas, qui in ijs ſe exercebant ab eodem cognomen accepiſſe facile ſibi perſuaderi paſſus eſt, coniectura ducta ex marmore Farneſiano. Quam ſanè Fabri coniecturam minimè veram eſſe ex alia quoque e noſtris hiſce Athleticis inſcriptionibus euincitur, in qua mentio, vt hìc, Synodi τῶν περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀπὸ καταλύσεως ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ κατοικούντων; quibus verbis, vel ipſe contextus orationis clamat, locum habitationis illorum Athletarum deſignari, non ſimplicem à cultu, aut tutela Herculis denominationem. Neque aliàs inſolitum in monumentis veterum, Collegia, aut corpora ab aliquo Deorum cognominari, vt ΙΕΡΑ ΤΑΞΙΣ ΤωΝ ΠΑΙΑΝΙΣΤωΝ ΤωΝ ΕΝ ΡωΜΗ ΔΙΟΣ. ΗΛΙΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΙΔΟC ΚΑΙ. ΘΕωΝ CΕΒΑCΤωΝ in Inſcriptione ſupra citata, &

Meſſenicis.

tata, & CYNOΔOC TωN MYCTωN THC MEΓAΛHC ΘEAC ΘECMOΦOPOY ΔHMH-TPOC in lapide Veneto, & SYNHODVS APOLLINIS in ſequenti Inſcriptione ex Theſ. Gruteri.

Grut. Pag. CCCIX.

Pagin. CCCXXX. 3.

M. AVRELIO. AVG. LIB.
AGILIO. SEPTENTRIO
NI. PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. PRIMO. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. ALVMNO. FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO. AB. IMP. M.
AVREL. COMMODO ANTONI
NO. PIO. FELICE AVGVSTO
ORNAMENTIS. DECVRIONAT.
DECRETO. ORDINIS. EXORNATO
ET. ALLECTO. INTER. IVVENES
S. P. Q. LANIVINVS.

Cur verò Scaligerum notet Salmaſius quòd SYNHODVM APOLLINIS ex hac ipſa inſcriptione retulerit in Indicem Theſauri Gruteriani, ego ſanè non video, aut quid ille velit non ſatis aſſequor. *Nam Synodus* (ait ille cenſuræ ſuæ rationẽ reddens) *ſimpliciter, & abſolutè de Scenicorũ Collegio*; quaſi verò aliud quidpiam innuere voluerit Scaliger, quàm SYNHODI in veteribus lapidibus fieri mentionem, quę, quorumcumque illa tandem eſſet, ab Apol-

Apolline denominaretur. Contra verò à Collegijs,aut Corporibus,quorũ tutelam gererent Deorũ nõnulli denominari soliti,quemadmodum, CONCORDIA COLLEGII BRACTEARIORVM INAVRATORVM : in antiquo marmore, & FORTVNA VIATORVM, cuius Templum, teste Rufo, fuit in Regione prima. Neque à verò fortasse aberrem si moris huius antiqui exemplum eruerim ex inscriptione Aricina, quæ cùm nunquã antea edita sit, rem haud ingratam ijs me facturum existimo, qui priscis huiusmodi monimentis delectãtur, si eam in lucem proferam.

DIANAE AVG
COLLEG. LOTOR.
SACR.
PRIMIGENIVS. R. P.
ARICINORVM SER. ARC
CVRATOR II CVM
M. ARRECINO GELLIANO
FILIO CVRATORE. T.
D. D.

In hoc marmore omnino legendum DIANAE AVGVSTAE COLLEGII LOTORVM SACRVM; non COLLEGIVM LOTORVM SACRVM, quæ lectio alicui fortasse verisimilior videatur, quasi sensus sit Col-

legium

legium Lotorum monumentum hoc Dianæ Auguſtæ dedicaſſe, quod ſanè perperam eſſet, cùm illud à Primigenio, & M. Arrecino Gelliano R. P. Aricinorum Curatoribus dedicatum inſcriptio ipſa doceat. Et verò obſeruationem merentur quæ vetus hic lapis habet de Collegio Lotorum, cuius neſcio an alibi mentio in antiquis monimentis. Lotores itaque non niſi à *lauando* dictos ipſa vox ſuadet. Igitur & Collegium Lotorum eorum fuit, qui eadem de cauſsa ita appellarētur. Verùm, quid Lotoribus commune cum Diana Aricina? ad quam referendam eſſe hanc inſcriptionem vix dubitari poteſt. Aut igitur, quantùm mihi coniectura aſſequi licet, Collegium Lotorum Sacerdotum, aut Miniſtrorum quorumlibet ſacrorum fuit, qui aduenis Templum olim Dianæ celeberrimum in crepidine lacus Nemorenſis poſitum adeuntibus, ac religionis, aut morbi fortaſſe alicuius depellendi cauſſa in lacu Dianæ Sacro lauantibus, præeſſent, ac rei ſacræ peragendæ ritus monſtrarent; aut ideo Collegium Lotorum dictum, quòd eius Collegij Sacerdotes Dianæ illius Aricinæ, ſeu Nemorenſis ſimulacrum certis anni diebus ob veterem aliquam religionem, cuius notitia ad nos minimè peruenerit, in ſubiecto lacu lauarent. Fateor equidem nullum huius rei veſtigium in antiquitate deprehendi; ſed neque

D om-

omnia, quorum nulla mentio apud veteres omnino incredibilia; & coniecturæ noſtræ alioquin fauet non vnum in antiquitate exemplum huiuſmodi lauationum. Nam de ſimulacro Cybelis, quod à XV. viris quotannis in Almone lauabatur noti illi verſus Lucani.

Lib. 1. Pharſal.

Tum qui fata Deum, ſecretaq; carmina ſeruāt,
Et lotam paruo reuocant Almone Cybelem.

Cuius rei originem doctiſſimus rituum Romanorum Ouidius iam antea aperuerat, quo loco aduecti Peſſinunte Romam matris Deûm ſimulacri pompam deſcribit.

Lib. 2. Faſt.

Eſt locus in Tyberim, quo lubricus influit Almo,
Et magno perdit nomen in amne minor,
Illic purpurea canus cum veſte Sacerdos
Almonis dominam, ſacraque lauit aquis.

De Palladis verò ſimulacri lauatione extat Callimachi Hymnus, qui numero quintus, inſcribitur, εἰς τὰ λουτρὰ τῆς Παλλάδος. Eius namque occaſionem Poeta ſumit à ſolemni Palladij lauandi more apud Argiuos, de quo hæc Græcus Scholiaſtes: ἔν τινι ἡμέρᾳ ὡρισμένῃ ἔθος εἶχον αἱ Ἀργεῖαι γυναῖκες λαμβάνειν τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ τὸ Διομήδους, καὶ ἄγειν ἐπὶ τὸν Ἴναχον, κἀκεῖ ἀπολούειν. *Mos fuit Argiuis mulieribus certo quodam die accipere ſimulacrum Palladis, & Diomedis, eaque ad Inachum perducta*

ta in ipso flumine lauare. Quamobrem eum ritum Dianæ quoque Aricinæ sacerdotibus fuisse, vt eius simulacrum certis temporibus lauarent, nihil prohibet suspicari; immo & id suadet procliue Deæ ipsius ingenium ad huiusmodi lauationes, vt docent veteres fabulæ, quò allusum fortasse est eiusmodi ritu; & opportunè in proximo lacus Nemorensis, qui & ipse antiqua religione sacer (vt Ouidij verbis vtar) simulacri huius Dianæ Aricinæ lauationi occasionem facilè præbere potuit. His adde Dianam tanquam Thermarum præsidem apud veteres cultam, vt liquet ex Aristide, qui Θερμαίαν Ἄρτεμιν, quæ nempè, vt ipse innuit, πηγὰς τὰς θερμὰς ἔχει hymnis celebrasse narrat, & ex vetustis lapidibus, in quorum vno. *Sac. Serm. IV.*

ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΘΕΡΜΙΑΙ. ΕΥΑ
ΚΩΔΙΤΑΣ

Apud Gruter. pag. MLXVI. 14.

Et in altero apud eumdem. *Ibid. 15.*

ΩΣ ΤΑΝ. ΚΡΑΝΝΑΝ
ΚΑΙ. ΤΟ. ΥΔΡΑΓΩΓΙΟΝ. ΑΠ
ΟΚΓΧΡΕΑΝ. ΑΡΤΕΜΙΔΙ. Θ
ΕΡΜΙΑ. ΕΥΑΚΩΔΙΤΑΣ

Fuerunt quoque Athenis πλυντήρια, quorum meminerunt Xenophon I. Ἑλληνικῶν, &

Plutarchus in Alcibiade. De ijs ita Hesychius: Πλυντήρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπὶ τῇ Ἀγραύλῳ, τῇ Κέκροπος θυγατρὶ ἄγουσιν. *Plynteria festum Athenis, quod Agrauli Cecropis filiæ celebrant*. In eo festo detracta Deæ ornamenta lauabantur, vnde & nominis origo. Sed de hoc plura qui volet, videat apud Meursium; nos eò vnde digressi sumus reuertamur.

In Græcia Fer.

ΑΠΟ ΚΑΤΑΛΥCΕωC. Ita omnino legendum, non ΑΠΟΚΑΤΑΛΥCΕωC, vt in marmore, lapidarij incuria. Id enim vocabuli nusquam apud Græcos, κατάλυσις verò hospitium, diuersorium, à quo cognomentum huic Herculi, apud quem habitabant Athletæ nostri; qui quidem Hercules à loco denominabatur, vt Ianus *ad Theatrum Marcelli*, Mars *Castrorum*, Venus *Hortorum Sallustianorum*, ideo fortasse, quòd prope eius Templum, hospitium esset, quò Athletæ Agonum sacrorum occasione in Vrbem aduentantes diuerterent; seu quapiam alia de caussa, vt sæpe in huiusmodi locorum appellationibus contingit. Neque cæteroquin insolitum apud veteres, vt Collegia, aut Corpora apud Templum eius Dei, in cuius tutela essent Aedes haberent, in quibus, quæ solemnis legitur in antiquis marmoribus formula, COIRE ijs LICERET sacrorum faciendorum caussa, aut alijs etiam de rebus, quarum Collegij, aut Corporis interesset, ibi-

ſet,ibique fortaſſe erant huiuſmodi Hoſpitia, aut Contubernia, quale illud MARTICVLTORVM in hac Auguſtana inſcriptione, quam publici iuris fecit Velſerus. *In Inſcript. Auguſt. pag. 29.*

IN H. D. D.
DEO MARTI
ET VICTORIAE
CONTVBERNI
VM MARTICV
LTORVM POSV
ERVNT. V. S.
LL. M.

Atque id genus Aedes veniſſe arbitror nomine Aedificiorum iuris Templorum, quorum mentio in Cod. Theodoſ. Cæterùm fuiſſe Romæ Aedes complures Herculi ſacras colligitur ex Antiquariorum monimentis. Nec me fugiunt quæ de Templo Herculis legere eſt apud Horatium illis verſibus. *Tit. de Oper. Public.* *Lib. 1. Epiſt.*

. . . . *Veianius armis*
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Verùm de eo ſtatuere quænam Aedes illa fuerit, apud quam Synodus iſta Athletarum *ad Herculem* habitauerit, neque mihi conſilium eſt, neque hac de re laborandum magnopere duco; cùm præſertim id cognomenti Gym-

naſio

nasio huic Palæstritarum fieri potuerit, non à Templo aliquo, aut Aede Herculis; sed ab alio quopiam eius Dei monimento, quod prope esset, qualia nonnullis in Vrbe locis nomen fecisse ex Rufo, & Victore disco, vt *Hercules Siluanus*, aliàs *Sullanus* in Regione V. *Hercules Oliuarius* in XI, & *Hercules Cubans* in XIV.

EN TH BACIΛΙΔΙ PωMH. Magnifici profectò sunt illi tituli, quibus Vrbem Romam insignitã legimus apud Latinos Scriptores, à quibus SACRA, AETERNA, VENERABILIS, TERRARVM, GENTIVMQVE DEA certatim appellatur. Græci verò vnica tantùm appellatione, quæ quidem omnium instar esset, eam ornasse contenti; vix enim alio nomine Vrbem Romam in eorum monimentis appellatam reperias, quàm ΒΑΣΙΛΙΔΟΣ, aut, quod idem est, ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΗΣ ΠΟΛΕωΣ. hoc est, Reginæ, atque vt cum Horatio loquar, *Vrbium Principis*. Quò allusum etiam videtur magnifica illa inscriptione, quam Proæresij statuæ appositam narrat Eunapius in eius Vita; Ἡ Βασιλεύουσα Ῥώμη τὸν Βασιλεύοντα λόγων. *Regina Roma Regi Eloquentiæ*. In geminis quoque Puteolanis marmoribus, *Stationariorum* EN TH ΒΑΣΙΛΙΔΙ PωMH mentio habetur. Nec diffiteor tamen haud ita antiquis temporibus illustrem eam appellationem vsurpatam de quacumque Vrbe,

be, quæ opibus; ac potentia inter primarias habeeretur; quo ſenſu Conſtantinus Porphyrogenneta de Baſilio Macedone: ᾔδει γὰρ ἐν ταῖς μεγάλαις, καὶ μάλιστα ταῖς βασιλευομέναις τῶν πόλεων τὰς δεξιὰς φύσεις εὐδοκιμεῖν. *Nouerat enim in magnis Vrbibus, & potiſſimum Regijs induſtria ingenia nominis gloria inclareſcere.* Eademque ratione Creta Βασιλεύουσα τῶν νήσων dicitur in veteri inſcriptione, factumque poſtea, vt Imperij ſede Byzantium translata, Βασιλίδος quoque titulus in eam ſit delatus, quo Vrbem C. P. paſſim appellant hiſtoriæ Byzantinæ Scriptores: eòque reſpexit Sidonius Apollinaris illis verſibus. *In eius Vita.*

Salue Sceptrorum columen Regina Orientis, *Carm. 2.*
Orbis Roma tui.

Quod de veteri etiam Roma ante ipſum ſic cecinerat Rutilius Numatianus. *Lib. 1.*

Exaudi Regina tui pulcherrima mundi
Inter ſidereos Roma recepta polos:
Exaudi genetrix hominum, genetrixque Deorum;
Non procul à cælo per tua templa ſumus.

Neque verò ſolùm Conſtantinopolis; ſed vrbes etiam aliæ celebriores Romæ appellationem obtinuerunt apud Scriptores, vt obſeruat Sauaro in Notis ad Sidonium. Sic Saluiano Maſſilienſi Carthago vniuerſarum Africæ vrbium princeps, & quaſi mater, & *in* *Lib. 7. de Prouid.*

Afri-

In Vrbib. *Africano orbe quasi Roma*. Sic Ausonio Capua *Roma altera*, & Arelas *Gallula Roma*; *In Chron.* sic demum Sigeberto, Aedui *Celtica Roma*, & Leandro, Aquileia *Roma secunda* dicitur: Romam verò Deæ appellatione insignitam habet vetus lapis Atheniensis, in quo *Apud Gruter. pag. CV. 9.* Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΙ ΡωΜΗ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΑΙΣΑΡΙ. *Populus Deæ Romæ, & Augusto Cæsari*, & Græcus præterea nummus ΕΛΑΙ- *Ex Mus. Reg.* ΤΩΝ, in quo Caput Romæ Galeatum cum inscript, ΘΕΑ ΡΩΜΗ. *Pulchræ* quoque titulo appellatur Roma in singulari altero Græco nummo ex eodem Museo, cui ΚΑΛΗ ΡΩΜΗ inscriptum, Autor mihi V. Cl. & veterum Nummorum peritia præstantissimus Franciscus Gottifredus.

M. ΟΥΛΠΙΟΝ ΔΟΜΕϹΤΙΚΟΝ. Subintellige ἀνέθηκε, vel ἐτίμησε, quæ solemnes sunt formulæ dedicationis huiusmodi monimentorum, occurruntque passim in antiquis marmoribus. Illas verò eleganter, vt Latini, Græci etiam sæpius omittunt; quamobrem, & in huiusmodi inscriptionibus nomen eius, cui monimentum dedicatur quarto casu donant. Hunc quoque loquendi modum, quamuis non ita frequenter, habent veteres Nummi. Eorum aliquot raritate insignium inscriptiones proferam ex celeberrimo, ac mihi aliàs laudato Christinæ Reginæ Museo,

vt

vt ΘΕΑΝ ΚΛΑΖΟΜΕΝΗΝ in Nũmo ΚΛΑ-ΖΟΜΕΝΙΩΝ, ΚΟΜΜΟΔΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. in alio Commodi, ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣ-ΤΗΝ, ac ΦΑΥΣΤΙΝΑΝ itidem. ΣΕΒΑΣΤΗΝ in Nummis Agrippinæ, & Fauſtinæ, ΙΟΥ-ΛΙΑΝ ΔΟΜΝΑΝ in vno Iuliæ Domnæ, ac denique ΘΗΣΕΑ ΝΙΚΕΙΣ in rariſſimo Ni-cænorum, in quo ſanè illuſtre huius loquendi modi exemplum, quale & in illo Commodi, cuius paulò ante mentionem fecimus; in eius namque auerſa legitur ΣΙΛΒΑΝΟΝ ΠΕΡ-ΓΑΜΗΝΟΙ. quibus addo ſingulare, ac quan-tiuis pretij æreum Liuiæ Nummum, cuius in anteriori parte circa caput Liuiæ, ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ, in auerſa verò, quæ Iuliæ Auguſti fi-liæ caput habet, ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. Idē quoque obſeruo in duobus latinis Num-mis, in quorum vno, qui ad Iuliam Seueri per-tinet inſcript. IVNONEM. in altero verò Vitellij, VRBEM RESTITVTAM, & in Gordiano paſſim, MARTEM PROPV-GNATOREM. *Apud Angelon. in Vitellio.*

ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΞΥCΤΑΡΧΗΝ. De Xyſtar-chæ quidem munere non eadem opinio fuit eorum, qui præclarè ante omnes de re Athle-tica ſcripſerunt Mercurialis, ac Fabri. Ille ſi-quidem Xyſtarcham ſecundū locum à Gym-naſiarcha inter Gymnaſiorum miniſtros te-nuiſſe vult, eumque Victorum, & omnium *Lib. 1. c. 12.*

præmiorum decernendorum Iudicem ambobus Xyſtis ſtadio, ac cunctis Athletarum exercitationibus præfuiſſe; hic verò Xyſtarchæ cum Gymnaſiarcha idem, aut geminum, ac non abſimile munus, immo idem illius in Xyſto, quod huius in Gymnaſio fuiſſe aduerſus Mercurialẽ contendit, quod & Suidæ teſtimonio aſſerit, qui ξυςαρχεῖν, γυμνασίου ἄρχειν interpretatur. Ego verò, ſi mihi tantis viris conciliandis ſequeſtrum agere fas ſit, fieri potuiſſe non abnuerim, vt Xyſtarchæ munus in prima eius apud Athletas inſtitutione diuerſum fuerit à Gymnaſiarchæ munere, quod ex ipſa vtriuſque vocis origine, ac Scriptorum etiam locis colligitur; verùm quòd vtrumque circa eaſdem ferè res verſaretur factum deinde paulatim crediderim, vt vnum pro altero promiſcuè vſurpare Scriptores cæperint, quod de alijs quoque rei Agoniſticæ officijs accidiſſe mihi perſuadeo. Cognata enim adeò ſunt munera illa Agonothetæ, Hellanodicæ, Alytarchæ, Brabeutæ, Gymnaſiarchæ, Xyſtarchæ, Proſtatæ, Epiſtatæ, vt mirum non ſit eorum aliquando notionem confuſam, quod apud nonnullos Scriptores obſeruare licet: quamuis de vniuſcuiuſque officio curioſius paulò inquirenti nonnihil inter ea diſcriminis extitiſſe pateat. Vtcumque res fuerit, certum eſt non vulgaris dignitatis inter Athletica Xyſtar-

Lib.1.c.22.

ſtarchæ officium fuiſſe, quem & purpura vſum ex Ammiano colligitur, qui Iulianum Xyſtarchæ purpurato comparat, quique ius virgæ habuit, vt Hellanodicæ, ac Brabeutæ, quibus dignitate haud inferiorem fuiſſe, ipſe ex hac inſcriptione Cretenſi conijcio. *Lib. 21. Hiſt.* *Apud Gruter. pagin. MXCIV. 5.*

ΛΥΤΤΙΩΝ. Η. ΠΟΛΙϹ
Τ. Φ. ΛΕΟΝΤΙΟΥ. ΥΙΟΝ
ΚΥΡΕΙΝΑ. ΑΚΕϹΤΙΜΟΝ
ΠΡΩΤΟΚΟϹΜΟΝ. Β. ΑΓΟ
ΡΑΝΟΜΟΝ. Β. ΞΥϹΤΑΡΧΗΝ
ΙΕΡΟΥ. ΑΓΩΝΟϹ. ΠΕΝΤΑ
ΕΤΗΡΙΚΟΝ. ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ.
ΤΩΝ. ΚΡΗΤΩΝ. ΑΡΕΤΗϹ
ΕΝΕΚΑ. ΚΑΙ. ΤΗϹ. ΤΗΝ
ΠΟΛΙΝ. ΑΔΙΑΛΕΙΠΤΟΥ. ΜΕ
ΓΑΛΟΨΥΧΙΑϹ. ΗΡΩΑ. ΚΑΙ
ΚΟϹΜΟΠΟΛΙΝ
Τ. Φ. ΧΑΡΜΑΤΙΩΝ. ΤΟΝ
ΕΑΥΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΑ.

Eam ita vertit Fabius Pacius apud Gruterum. *Lyttiorum Ciuitas T. Flauium Leontij filium tribu Cyrena Aceſtimum, Protocoſmum iterum, Aedilem iterum, Xyſtarcham ſacri certaminis quinquennalem, Communis Cretenſium virtutis ergo, & perpetuæ in Ciuitatem magnanimitatis Heroa, & Coſmopolitam* * *T. Flauium Charmatiorum ſuum Patronum.*

* *Hec ita vertere oportuerat.* T. Flauius Charmatio, Patrono ſuo.

En tibi Flauium hunc Aceſtimum, ſacri certaminis quinquennalis, quod à Communi Cretenſium celebrabatur Xyſtarcham, hoc eſt præſidem, quæ alibi Hellanodicarum, aut Agonothetarum partes erant. His omnibus accedit, quod inobſeruatum minimè prætermittendum, Xyſtarchæ munus perpetuum fuiſſe; quod ipſum non parum incrementi dignitatibus afferre Plinius agnoſcit, qui Arriano ipſi de Auguratu gratulanti. *Gratularis mihi quòd acceperim auguratum, iure gratularis, & quòd Sacerdotium ipſum cùm priſcum, ac religioſum, tùm hoc quoque ſacrum planè, ac inſigne eſt, quòd non adimatur viuenti.* Id verò de Xyſtarcha manifeſtò conſtat ex Athletico hoc marmore, in quo M. Vlpius Domeſticus διὰ βίου ξυστάρχης dicitur, quemadmodum & in alio Gruteriano, cuius inſcriptionem integram alibi afferemus, M. Aurelius Aſclepiades. Dubitandi alioquin de Xyſtarchæ perpetuitate anſam præbet præclariſſimum illud marmor Farneſianum, quod eſt de victorijs eiuſdem M. Aurelij Aſclepiadis, & duo alia è noſtris Athleticis, in quibus illud διὰ βίου ad dignitatem potiùs Ἀρχιερέως, quàm Xyſtarchæ videtur referendum; aut ſaltem de eo ambigi poteſt. Quamobrem me in eam opinionem facilè adduci ſinam, Xyſtarchæ munus non ita perpetuum fuiſſe, vt Pontifica-

Lib. 4. epiſt. 8.

tificatum, & Auguratum apud Romanos,qui viuentibus adimi non possent; sed nonnullis tantùm Athletarum ob egregiam in vniuersitatem merita,aut in re Athletica præstantiam, vt eo dum viuerent fruerentur concedi solitum.

ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΣΥΜΠΑΝΤΟΣ ΞΥΣΤΟΥ. Agones Gymnicos rem olim sacram fuisse,ac Religionis plenam iam adnotauimus; neque id cuipiam ignotum esse potest, qui in veterum Scriptorum lectione mediocriter sit versatus. Quamobrem meritò B. Cyprianus Idololatriam ludorum omnium matrem appellat. *Quod enim spectaculum* (vt cum eo loquar) *sine Idolo, quis ludus sine sacrificio?* Atque hæc inanis superstitionis pars adeò olim inualuerat, vt vix demum Arcadio, & Honorio imperantibus, sacrificia in ludis, & Agonibus publicis fieri desierint, vt habetur in l. *vt Prophanos. Cod. de Paganis, & sacrificijs.* Hinc, quod omnibus Collegijs,ac Corporibus commune fuit,Synodis Scenicorum, Pantomimorũ,Xysticorum sua quibusque sacra,eorumque ministri pro magnitudine Collegij, plures. Ijs qui præessent *Archieri Synodi* dicebantur, vt habet vetus inscriptio, quam paulò post afferemus, qui & Sacerdotales præsides Tertulliano. Neque sanè erat cur in inscriptione illa Romana Demetrij Hermo-

In lib. de Spect.

In lib. de Spect.

politæ

politæ circa explicationem illorum verborum Ἀ'ρχιερέως τοῦ σύμπαντος ξυστοῦ διὰ βίου tantùm ſe torquerent Viri docti, quos de ea non parum

Pag. 27. laboraſſe ſcribit Gaulminius in notis ad Euſtathium, cùm facile ijs in mentem venire debuiſſet, aliorum Collegiorum exemplo, Demetrium, qui ibi vniuerſi Xyſti Pontifex dicitur, non alium fuiſſe, quàm qui in ritibus, ac religionibus eius Synodi obſeruandis cæteris rei ſacræ miniſtris præeſſet, quod proprium erat munus Ἀ'ρχιερέως, ſeu ſummi Sa-

Eliacis. cerdotis. Nam quod narrat Pauſanias, apud Eleos Gymnaſiarcham Aetolo Oxyli filio tanquam Heroi ἐναγίζειν, hoc eſt parentare quotannis ſolitum fuiſſe, ita intelligendum eum locum eſſe cenſeo, vt cùm Gymnaſiarchæ, ac Pontificis eadem eſſet perſona, quæ ad Sacerdotium pertinerent facilè Gymnaſiarchæ officio tribui potuerint. Nam alioquin ſummi Sacerdotis dignitatem cum munere Xyſtarchæ, quem eundem cum Gymnaſiarcha fuiſſe vidimus, in ijſdem perſonis coniungi ſolitam ſuadent veteres inſcriptiones, quotquot exſtant ad Athletas pertinentes. Nemo enim in ijs Xyſtarcha, qui Ἀ'ρχιερεὺς quoque, ſeu ſummus Sacerdos non appelletur; quodque coniecturæ noſtræ non nihil ponderis afferre videtur, hos duos dignitatum titulos ſemper in ijſdem inſcriptionibus coniunctim expreſ-

expressos obseruare est, vt inde non leue indicium sit, hos ipsos honores apud Athletas in eandem personam, vt plurimum, conferri solitos. Cæterùm non dubie hìc M. Vlpius Domesticus, quemadmodum Xystarcha, ita perpetuus quoque Ἀρχιερεὺς dicitur. Illud enim διὰ βίου ad Ἀρχιερέα etiam referendum particula copulatiua ostendit. Id non æquè manifestum de Demetrio Hermopolita, Aurelio Asclepiade, Aurelio Demostrato, quorum elogia extant in alijs inscriptionibus Athleticis apud Gruterum, aut in illis, quas inferius illustrabimus, in quibus, vt aiebam, ambigitur illud διὰ βίου ad ξυστάρχην ne, an ad Ἀρχιερέα referri debeat. Verùm vt Ἀρχιερέως dignitatem apud Athletas quoque perpetuam fuisse credam, faciunt non rara in antiquitate exempla huiusmodi Sacerdotum διὰ βίου, quales Sacerdotes etiam Christianorum appellat Eusebius, quòd, vt animaduertit vir doctissimus Henricus Valesius, eorum Sacerdotium non annuum esset, sed perpetuum instar Sacerdotij Christi. Ἀπολλοδώρου ἱερέως τῶν χαρίτων διὰ βίου mentionem fieri in Tripode reperto in Cycladibus autor est Gaulminius modò memoratus, & in marmore Lesbio apud Gruterum.

Lib. X. Hist. Eccles.

Pagin. MLXXXIX. 5.

ΠΑΝΙΕ-

ΠΑΝΙΕΡΕΣ ΚΑΙ ΙΕΡΕΣ ΔΙΑ
ΓΕΝΕΟϹ ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ
ΑΣΚΛΑΠΙΩ ΚΑΙ ΙΕΡΕΥΣ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΛΕΣΒΙΟΙΣ

Selecta nonnulla περὶ Ἀρχιερέως διὰ βίου Eruditiſſimus Spanhemius in Diſſertatione paulò ante citata, ad quam lectores libenter remittimus. Illud ipſe corollarij loco addã, etiam fæminis ſummæ Sacerdotis dignitatem, ac titulum communem fuiſſe, quo inſignitur ΝΥΜΦΙΔΙΑ illa, quæ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ nominatur in marmore Arundelliano IV. Ἀρχιερέως autem vocabulum quaſi proprium, ac ſolemne eius, qui in huiuſmodi Synodis ſummo Sacerdotio fungeretur obtinuiſſe etiam apud Latinos, vt videre eſt in ſequenti inſcriptione.

Ex Theſ. Gruter. Pagin. CCCXIII.

L. AVRELIO
APOLAVSTO MEMPHIO
AVGG. LIB. HIERONICAE
CORONATO. ET. TON. DIAPAN
DON. APOLLINIS. SACERDOTI
SOLI. VITTATO. ARCHIERI
SYNHODI. ET AVGG.
L. AVRELIVS
PANNICVLVS. QVI. ET
SABANAS. PATRONO
OPTIMO

Et

Et in lapide Præneſtino.

Apud Suareſ. Præneſt. Antiq. lib. 1

M. AVRELIO. AVGG. LIB.
AGILIO. SEPTEMTRIONI
PANTOMIMO. SVI. TEMPORIS. PRIMO
HIERONICAE. SOLO. IN. VRBE. CORONATO
DIAPANTON. AB. IMPP. DD. NN.
SEVERO. ET. ANTONINO. AVGG.
PARASITO. APOLLINIS
ARCHIERI. SYNODI IIIIII. VIR. AV...
HVIC. RESPVBLICA. PRAENESTINA
OB. INSIGNEM. AMOREM. EIVS. ERGA
CIVES. PATRIAMQ.
POSTVLATV. POPVLI. STATVAM. POSVIT.

Quibus accedit inſignis Lampridij locus in Alexandro. *Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maximè quòd quodam tempore feſto, vt ſolent Antiochenſes, Aegyptij Alexandrini laceſſiuerant conuitiolis Syrum Archiſynagogum eum vocantes, & Archierea.*

ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ. Quinam περιοδονῖκαι dicerentur, quodque huius vocis etymon ſit docet Feſtus. *Et in Gymnicis certaminibus Perihodon viciſſe dicitur qui Pythia, Iſthmia, Nemea, Olympica vicit à circumitu eorum ſpectaculorum.* Hinc περιοδικοὶ ςέφανοι, & Athletis præcipuæ laudis loco περιοδονίκας appellari,

In Perihodus.

F

lari, quem titulum in eorum monimentis quotquot exſtant, raró non reperias. Quamobrem qui multo plures etiam agones viciſſet ex eorum numero, qui in omnibus ferè Græciæ vrbibus celebrabantur, qui quidem non ἱεροὶ, niſi nonnulli Imperatorum indulgentia, ſed δωρῖται, aut ἀργυρῖται, & χρηματῖται dicti, neque περιοδικοὺς στεφάνους reportabant, neque merebantur, vt de ſe Epinicia canerentur; adeòque meritò, vt habet Pindari ſcholiaſtes, contendebat Didymus Odem illam Pindari, quæ Νεμέων XI. eſt de laudibus Ariſtagoræ Tenedij, inter ἐπινικίους minimè referendam, quòd ille haud ἱερὸν ἀγῶνα, ſed περιχώρους, hoc eſt circumuicinarum regionum, quamuis ex ijs ſedecim, viciſſet. Neque tamen περιοδονῖκαι Athletæ tantùm dicti, ſed ij etiam, qui in muſicis, aut alijs id genus certaminibus obeundis, victores extitiſſent, vt iam monuit Faber. Quò facit inſignis Zonaræ locus, de Nerone: ἐπεραιώθη δὲ καὶ πρὸς τὴν Ἑλλάδα, οὔτι γε ὡς οἱ πρόγονοι αὐτοῦ, ἀλλ' ἐπὶ ὀρχήσει, καὶ ἐπὶ κιθαρῳδήσει, κηρύξει τε, καὶ τραγῳδίας ὑποκρίσει. οὐ γὰρ ἤρκει αὐτῷ ἡ ῥώμη, ἀλλ' ἐδεήθη καὶ ἐκστρατείας, ἵνα καὶ περιοδονίκης ὡς ἔλεγε γένηται. *In Græciam quoque profectus eſt, non quo eius maiores animo; ſed vt ſaltatorem, citharædum, præconem, ac tragœdum ageret. Non enim ipſi Roma ſatis erat, ſed expeditione quoque indi-*

Ad Nem. XI.

Agoniſt. lib. 2. cap. XV.

Annal. 2.

indigebat, quò Periodonica, vt dixit, euaderet. De Herodoro quoque Megarensi, Buccinatore insigni tradit Athenæus in Agonibus, qui στεφανῖται appellabantur, decies Periodum vicisse, qui, si Polluci potius habenda fides, septies, ac decies vicit. *Lib. X.* *Lib. IV. Cap. XI.*

ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ. Hoc est παραδοξονίκαν, quem loquendi modum obseruare etiam licet in Arriano, apud quem Epictetus magnificam illam Olympionicas salutandi formulam, χαῖρε παράδοξε, Socrati sui ipsius victori rectiùs conuenire, quàm putidis illis sui temporis Pugilibus, ac Pancratiastis iure contendit. Et apud Eusebium, qui eò respexisse videtur, dũ Martyres Tyrios, ὡς ἀληθῶς παραδόξους appellauit, vt innueret, eos in sæuissimis cruciatibus tolerandis admirabiles fuisse, solidamque constantiæ, ac fortitudinis laudem non vmbratilem, vt Athletarum filios, esse consecutos. Quinam verò hi essent, qui Paradoxonicæ appellarentur, disertè ostendit Plutarchus in vita Cimonis, quem Paradoxonicæ comparat his verbis: ὥσπερ δὲ τῶν ἀθλητῶν τοὺ ἡμέρα μιᾷ πάλη ἅμα, καὶ παγκρατίῳ στεφανουμένους ἔθει τινὶ παραδοξονίκας καλοῦσιν, οὕτω Κίμων, &c. *Quemadmodũ Athletas illos, qui eodẽ die lucta, ac pancratio vincunt more quodam Paradoxonicas vocãt; sic Cimon, &c* Qui sanè Plutarchi locus, quod germanæ lectioni sit restitutus Petri Fa- *Lib. 2. cap. 18.* *Eccles. Hist. lib. 8. cap. 7.*

bri diligentiæ, atque eruditioni acceptum referri debet: vulgò enim pro πάλη ἅμα, πάλη μιᾷ, ac pro παραδοξονίκας, παραδόξῳ νίκας legitur, quæ vt vt placuerint viris doctis, qui hunc locum aliter interpretati ſunt, certè ad Plutarchi mentem parum quadrant. Neſcio autem an meritò S. Auguſtinus vulgi morem ſugillet Paradoxonicas eos appellandi, qui eodem die lucta, ac pancratio viciſſent, quòd ijs Paradoxi vocabulum parum conueniat, cùm illud κυρίως de ijs vſurpetur, quæ (vt ipſe exiſtimat) opinionis malæ ſunt. *Tametſi quidam* (inquit ille) *parum diligenter Græcè loquentes*, παράδοξα, *pro his, quæ ſunt bonæ opinionis accipiunt: vnde vulgò, etiam Olympionicas, & cæteros victores ſacrorum certaminum Paradoxos vocant magis conſuetudine, quàm ratione ducti. Nam, vt opinor, παράδοξον eſt, quod eſt παρὰ τὴν δόξαν, hoc eſt, contra opinionem bonam.* In quo (ſi mihi fas ſit de viro ſanctiſſimo, ac doctiſſimo hoc dicere) vereor vt ille verum ſit aſſecutus. Nam ſi Græcis Grammaticis credendum, παράδοξον nihil aliud eſt, quàm inſperatum, inopinatum quidpiam, quòd παρὰ δόξαν, hoc eſt, præter opinionem contingit. Quamobrem rectè Plinius: *ſunt enim maximè mirabilia, quæ maximè inſperata, maximè periculoſa, vtque Græci magis exprimunt* παράδοξα, *quæ grandi ſubiecta diſcrimini.* Locum hunc Plinij inſi-

Lib. 3. Rhetori.

Lib. 9. epiſt. 26.

insigniter luxatum, veræ lectioni in hunc modum restituebat vir doctissimus, atque acerrimi iudicij Alexander Pollinus. *Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè insperata, vtque Græci magis exprimunt, παράδοξα: maximè periculosa, quæ grandi subiecta discrimini.* Sed vt ad propositum redeamus, egregiè ad rem nostram faciunt illa veteris interpretis ad Iuuenalis Satyr. VIII. *Siparium velum est, sub quo latent Paradoxi cùm in scenam prodeunt.* Non alia quippe de caussa histriones Paradoxos vulgari, vt videtur, appellatione hìc vocari verisimile est, quàm quòd spectatoribus, vt plurimum, improuisos, atque inexpectatos se prodere soliti essent.

ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ CΕΒΑCΤΟΥ. Malè in Decreto Antonini, quod supra retulimus, nescio quis apud Gruterum, illa ΕΠΡΕC ΒΕΥΕΝ ΟΥΛΠΙΟC ΔΟΜΕCΤΙΚΟC ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ΜΟΥ: *Supplicauit Vlpius Domesticus in Balneis meis* interpretatus est, quæ ita vertere debuisset: *legationem obijt Vlpius Domesticus Balneis meis Præfectus.* Ibi enim vt hìc in nostra, illa ἐπὶ βαλανείων, officium Præfecti, seu Curatoris Balneorum Augusti designant, quod quidem exerceri solitum fuisse ab Athletarum præcipuis, ac quasi principibus illud non leui indicio est, in omnibus ferè, quotquot adhuc vidi, monimētis illustrium

Athle-

Athletarum eius fieri mentionem post Xystarchæ, & summi Sacerdotis titulos. Idque alioquin suadet coniunctus cum exercitationibus Gymnasticis Balneorum vsus; nam adiuncta Gymnasijs Balnea quis paulò eruditior ignorat? ex eo autem oriri potuit, vt Imperatores tanquam rem Athletarum exercitio affinem, Præfecturam Balneorum Augustalium ijs inter ipsos concederent, qui Athleticæ artis laude cæteris præstarent.

ΤΟΝ ΕΑΥΤωΝ ΠΡΟϹΤΑΤΗΝ. Prostatæ munus idem cum Epistata fuisse apparet ex simili vtriusque vocabuli notione, quæ scilicet Præsidis, Præfecti, Moderatoris, aut huiusmodi cuiuspiam est; tùm verò ex promiscuo eorum vsu apud Scriptores, vbi de his sermo, apud quos tamen frequentiùs Epistatæ, quàm Prostatæ mentio. At Pollux inter Athletarum Præfectos προστάτην quidem, ἐπιστάτην verò nullum nominat. Epistatam igitur, aut Prostatam non alium ab eo esse, qui Galeno ἐπιστάτης τοῦ παλαίσματος, Hippocrati παλαιστροφύλαξ, alijs Pædotriba, Quintiliano Palæstricus Magister dicitur, iam Mercurialis, & Faber obseruarunt. Ac Mercurialis quidem à Xystarcha in eo vult differre Epistatam, quod hic perinde, ac Pædotriba quidam, luctantibus tantùm præesset; Xystarcha verò, vt diximus, plurium exercitationum moderator,

Lib. IV. Cap. XI.

Lib. 1. cap. 12.

tor, Victorumque, & omniũ præmiorum decernendorum iudex foret. Faber verò Epistatã, aut eumdem cum Gymnasiarcha, seu Xystarcha statuit, aut ab ipso in Palæstra, seu Gymnasio, in stadio autem ab Agonotheta, siue Athlotheta, tam autoritate, quàm munere proximum. Cæterùm Prostatæ, seu Moderatoris præcipuæ in Gymnasijs partes fuerunt, ni fallor, Iuuentuti præesse, eamque ad disciplinam Athleticam instituere. Huiusmodi certè προστασίας vestigia agnoscere licet in celebri Anconitano marmore, vbi inter alia Batonis Gymnasiarchæ merita, ob quæ ille à Collegio Athletarum oleagina, atque aurea etiam corona donatus, legere quoque est, ΤΩΝ ΝΕΩΝ ΠΡΟΣΤΑΣΙΑΝ ΕΥΣΧΗΜΟΝΑ ΤΕ ΚΑΙ ΠΡΕΠΟΥΣΑΝ. *Iuuenum Præfecturam honestè, decenterque ab eo administratam.* Namque à vero aberrasse videtur Aegius, qui νεῶν hic pro νέων legens, Templorum præfecturam vertit, quæ quomodo Gymnasiarchæ, aut Athletarum moderatori conueniat, non video. Ac προστάτην quidem patronum etiam significare scio; sed multa sunt, quibus adducor, vt credam, M. Vlpium Domesticum apud Herculaneos moderatoris potiùs officium, quàm patroni titulum obtinuisse. Προστάτης etiam pro Magistratu, aut præside Prouinciæ, in marmore Ancyrano.

Lib. 2. c. 5.

Apud Grut. CCCXXVII.

In Thes. Grut. pag. CCCCVI. 3.

Λ. ΦΑ-

Λ. ΦΑΒΙΟΝ
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡωΜΗϹ
ΥΠΑΤΟΝ. ΤΟ. Β.
Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ
ΤΗϹ. ΓΑΛΑΤΙΑϹ
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ. ΕΑΥΤΗϹ
ΠΡΟϹΤΑΤΗΝ.

L. Fabio Ciloni Clarissimo Præf. Vrb. (non *præclaro Principi Romæ*, vt in latina interpretatione apud Gruterum) *Cos. II. Ancyra Galatiæ Metropolis præsidi suo*. Fuit hic L. Fabius Cilo legatus Augusti perpetuus Prouinciæ Galatiæ sub Seuero, vt constat ex alia latina inscriptione, quæ olim extitit in Hortis Carpensibus. Epistatæ verò mentio in Nummo aereo maximo Seueri rarissimo, atque ob id ipsum obseruatione digno, in cuius auersa inscript. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΕΠΙϹΤΑΤΟΥ ΤΕΜ.ΑΝΝΙΟΥ: *Pergamenorum Neocororum Præfecto Templi Annio*. Vbi obiter etiam animaduertas velim Epistatæ nomen huic Nummo adscriptum tanquam τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπωνύμου apud Pergamenos.

Ex Mus. M. Ducis.

ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΠΡΕϹΒΕΥϹΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΙΤΗϹΑΜΕΝΟΝ ΤΟ ΤΕΜΕΝΟϹ. Collegia,

ac

ac Corpora artium ſua olim Templa habuiſſe, vt hodiéque fit, quod iam ſupra monuimus. Id hoc loco obſeruationem meretur, legationes ab ijs ad Imperatores mitti ſolitas ad locum impetrandum conſtruendo Templo. Quæ ſanè legatio ad earum genus referenda, quæ certis de rebus ab Vniuerſitate aliqua ad Principem mittebantur, qualem eam fuiſſe ex Strabone notat Paſchalius, quæ ad Auguſtum cùm eſſet Corinthi miſſa fuit à Corpore Piſcatorum ad petendam tributi leuationem. Et vero Aedes ſacras priuata auctoritate conſtruere antiquitus minimè licuiſse indicio eſt celebris illa Aſiaticarum Vrbium de Templo Tiberio ædificando inter ſe certantium controuerſia apud Tacitum. Neque inde ſtatuendum, quod malit fortaſſe quiſpiam, auctoritate publica ſolummodo opus fuiſſe, cùm de Templo Imperatori, eoque in Prouincijs ædificando quæſtio eſſet: nam in Vrbe ipſa Aedibus Deorum conſtruendis eam requiri ſolitam ipſe aduerto, coniectura fretus, cuius mihi fundus eſt vetus lapis Romanus, in quo.

In Leg. c. 13

Annal. IV.

Apud Grut. XXVI. 3.

LOCVS. ADSIGNATVS. AEDI. OPIS. ET. SATVRNI
L. MVNATIO. VERO. ET. C. TERENTIO. FELICE
CVRAT. OPERVM. PVBL.

Pertinebat ſcilicet ad Curatores operum

publicorum locum Aedibus, aut Templis construendis adsignare, quæ tamen nonnisi ex Imperatorum auctoritate construi poterant, vt patet ex Inscriptione sequenti, qua nihil illustrius ad rem nostram.

Ex Thes. Grut. pag. CXXVIII 2.

EX AVCTORITATE
IMP. CAESARIS
TITI. VESPASIANI. AVG.
IN. LOCO. QVI
DESIGNATVS. ERAT. PER
FLAVIVM. SABINVM
OPERVM. PVBLICORVM
CVRATOREM. TEMPLVM
EXTRVXERVNT
NEGOTIATORES. FRVMENTARI.

Obijt itaque legationem M. Vlpius Domesticus apud duos Imperatores Hadrianum, & Antoninum Athletarum Herculaneorum nomine αἰτησάμενος τὸ τέμενος, hoc est locum Aedi construendæ, vt posuimus in latina huius inscriptionis interpretatione, cuius vt rationem aliquam reddamus, quandoquidem non vna hoc loco esse potest huius vocabuli significatio, haud nos sanè fugit, τὸ τέμενος, quasi τόπον ἀποτετμημένον, propriè significare portionem aliquam agri finitam, ac Deo alicui, aut Heroi sacram, qua notione commo-

dè

dè etiam accipi poſſet de loco, ſeu Area, quam ſcilicet Athletæ Herculanei petijſſent ad exercitationes Gymnaſticas, qui locus cùm Herculi, aut Dijs alijs Enagonijs ſacer eſſet, rectè hoc nomine, τȣ̃ τεμένους vocabulo deſignari poſſet in inſcriptione noſtra. Sed ne his acquieſceremus, Antonini reſcripto adducti ſumus, à quo, (cùm illud poſtulatis Herculaneorum reſpondere par ſit credere) germanam huius loci explicationem petendam eſſe videbamus. Cùm igitur in marmore Farneſiano Imperator Synodo huic reſcribat ſe iuſſiſſe locum ipſis adſignari, in quo & ſacra, & Tabulas publicas collocent, liquidò patet, non aream à M. Vlpio Domeſtico petitam fuiſſe ad Palæſtram, aut Xyſtum, ſed locum in quo Synodus, & Aedem ſacris collocandis, & Tabularium Commentarijs, ſeu Regeſtis publicis condendis extrueret. Τέμενος alioquin æquè bene apud Græcos pro Delubro, aut Fano; vnde τεμενωρὸς pro Fani cuſtode, ſeu Aedituo, qui aliter ἐπιστάτης τȣ̃ τεμένους in inſigni Nummo Seueri, cuius paulò ante meminimus. Vt igitur ad inſcriptionis noſtræ mentem quàm proximè accederemus, & vtriuſque notionis, quæ huic voci congruit rationem habuiſse videremur, τὸ τέμενος *locum Aedi conſtruendæ* vertimus, non ſimpliciter Fanum, aut Delubrum, quod non adeò cum re-

ſcripto Antonini congruere exiſtimabamus.

ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΘΕΝΤΟϹ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ. τειμὴν, pro τιμὴν, vt ſupra περιοδονείκην, pro περιοδονίκην. Huius ſcripturæ non rara extant exempla apud Heſychium, atque in veteribus Gloſſis, quæ iam aduerterunt Viri docti. Nos in antiquis marmoribus præter ἐτείμησαν, τειμηθέντα, τειμητὴς, pro ἐτίμησαν, τιμηθέντα, τιμητὴς, Γάειος quoque ſcriptum obſeruamus, pro Γάϊος, Εἰουλία pro Ἰουλία, Οὐείβιος pro Οὐίβιος, Εἴσιδι pro Ἴσιδι, Εἰωνικὸν pro Ἰωνικὸν, ὑμεῖν pro ὑμῖν, χείλια pro χίλια: & in Nummis, Ἀντωνεῖνος, Μακρεῖνος, Φαυστεῖνα, Ουοπείσκου pro Ἀντωνῖνος, Μακρῖνος, Φαυστῖνα, Ουοπίσκου, ἐπεὶ pro ἐπὶ, ἐπινείκια pro ἐπινίκια, Ἀφροδεισιέων, Φιλιπποπολειτῶν, pro Ἀφροδισιέων, Φιλιπποπολιτῶν, & alia huiuſmodi. Quæ ſanè recepta, vt apparet apud Veteres ſcribendi conſuetudo, Salmaſij opinioni non parum fauet, eos ει diphtongum vt ἰῶτα pronunciare ſolitos, contra quàm alij cenſuerunt, atque is ipſe Adolphus Mekerchus, qui de recta Græcæ linguæ pronunciatione commentarium ſcripſit. Τειμὴν verò hìc ſtatuam vertere non dubitauimus, id namque res ipſa per ſe loqui ſatis videbatur. Quidnam enim aliud ſuper hac Baſi M. Vlpio Domeſtico ab Athletis Herculaneis dedicatum fuiſſe credendum eſt, quàm ipſam eius ſtatuam? ſiue ea προτομὴ fuerit

In Not. ad inſcript. Herod. *Act. pag.* 16.

fuerit, ſeu, quod probabile eſt magis, ſtatua, vt vocant, Iconica, quales Olympionicis, Iſthmionicis, alijſque paſſim Athletis in locis Agonum poſitas nemo ignorare poteſt, qui Pauſaniam ſaltem legerit, aut Plinium, à quo multi Athleticarum ſtatuarum artifices, inter quos Mycon, *Athletis*, vt eiuſdem verbis vtar, *ſpectatus* nominantur. Et ſcio equidem hanc vocem ita aliquando ab Herodiano vſurpari, vt monimenta potiùs cuiuſuis generis, ſiue honores, vt vertit Politianus, quàm κυρίως ſtatuam ſignificet, quemadmodum libro 7. ἀνδριάντες οὖν καὶ εἰκόνες τιμαί τε πᾶσαι τοῦ Μαξιμίνου κατεσπῶντο, quæ ille rectè vertit: *Igitur ſtatuæ, atque imagines Maximini, cæterique honores ſtatim conuulſi*. Contra verò, interpretationem noſtram adſtruere videtur alius huius ſcriptoris locus eodem libro, vbi hæc ille de Maximini auaritia: ναῶν τε ἀναθήματα, Θεῶν τε ἀγάλματα, καὶ ἡρώων τιμὰς, καὶ εἴ τις ἦν κόσμος δημοσίων ἔργων, ἢ καλλωπίσματος πόλεως, ἢ ὕλης νόμισμα ποιῆσαι δυναμένης, πᾶν ἐχωνεύετο. *Ad hæc Templorum donaria, ſtatuæque Deorum, heroumque honores, tum quicquid publici operis, aut ciuilis ornamenti, aut materiæ denique fuit nummis idoneæ conficiendis, omnia pariter ignibus conflabantur*. Neque ſanè aliud fuiſse veriſimilius eſt ἡρώων τιμὰς, quæ igni conflari poſsent, quàm ſimulacra Heroibus dedicata. Cæterùm

Lib. 34. *cap.* 8.

Cap. VII.

rùm quòd hìc M. Mettij Amerimni nomen legitur tanquam eius, à quo ſtatua poſita ſit M. Vlpio Domeſtico, conſueti moris eſt, cuius veſtigia agnoſcere licet in compluribus inſcriptionibus ſtatuarum, quæ alicui nomine publico Municipiorum, Coloniarum, aut Ordinum, Collegiorum, ac Corporum ponebantur, in quibus ſæpe nomina eorum notantur, quibus curantibus id fiebat. Sic in inſigni illa inſcriptione Romana, Η ΙΕΡΑ ΤΑΞΙC ΤΩΝ ΠΑΙΑΝΙCΤΩΝ, Embæ Prophetæ decernit ΠΡΟΤΟΜΗΝ ΜΑΡΜΑΡΙΝΗΝ ΕΠΙ ΚΟΥΡΑΤΟΡΟC ΜΕΤΕΙΛΙΟΥ ΑΜΠΛΙΑΤΟΥ ΠΡΕCΒΥΤΕΡΟΥ. De hoc verò M. Mettio Amerimno altum planè ſilentium in antiquis monimentis: Familiæ tamen Amerimnorum mentio in marmore Romano, in quo.

Grut. pag. DCLXVII 9.

Α Μ Ε Ρ Ι Μ Ν Ω Ι
Υ Ι Ω Ι
Τ Α Τ Ι Ο Ν Η
Μ Η Τ Η Ρ
Ε Τ Ω Ν. Η.
Μ Η Ν Ω Ν. Ε.

Pagin. XXXIII. 4.

Et in inſcriptione ex Theſ. Gruteri.

DOMINO. SOLI. V. S. TI. CLAVD.
AMERIMNVS. LICTOR CVRIATVS.

ΕΠΙ

ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤωΝ Λ. ΟΥΑΝΝΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΙΑΝΟΥ ΚΑΙ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ. Præclarè, ſi quicquam aliud, ad antiquitatem illuſtrandam in hoc inſigni marmore, quod Archontas tanquam magiſtratum exhibet, à quo Faſti, vt ita dicam, Athletici ordinarentur; cuius rei vix alibi, quod ſciam, veſtigia extant. Nam quod ex Diogene Laërtio euincere conatur Faber, in Commentarijs publicis apud Elæos, in quos Olympionicæ referebantur, ἀρχόντων appellatione Agonothetas deſignari ſolitos, perperam meo iudicio facit. Laërtij verba ſunt: κατέστρεψε δὲ (καθά φησι Στησικλείδης ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων, καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ,) ἔτει πρώτῳ τῆς πέμπτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιδημίδου, ἐφ᾽ οὗ καὶ Φίλιππος ὁ Ἀμύντου ἦρξε. *Mortuus eſt Xenophon (vt ait Steſiclides Athenienſis in Archontum, & Olympionicarum commentario) anno primo quintæ & centeſimæ Olympiados, Archonte Callidemo.* Xenophontem igitur primo quintæ & centeſimæ Olympiadis anno obijſse narrat Laërtius, huiuſque rei autorem adhibet Steſiclidem in Commentario τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν. Quid verò hinc ad coniecturam ſuam adſtruendam colligere poſſit Faber, ſanè non video. Illud enim ἀρχόντων, non ad Agonothetas Elæorum, ſed ad Archontas Athenienſium referendum eſſe, quo-

Agoniſt. lib. III. Cap. 23.

In Xenoph.

ſe, quorum vnus fuit Callidemides, ſub quo obijt Xenophon, procul dubio eſt. Id ſi minus aliunde, ex eo certè manifeſtò euinci poſſit, quod eos Archontas vnà cum Olympionicis in Commentarios ſuos retulerit Steſiclides, more vulgato apud rerum Græcarum Scriptores, ad deſignandos Olympiadum annos nomina ſtadio victorum, cum nominibus Archontum Athenienſium coniunctim proferendi. Neque aliàs, quod ſciam, apud Autores ἀρχόντων nomine acceptos Agonothetas, aut quod aliquis fortaſſe exiſtimet ex Archontum Magiſtratu delectos reperire eſt. Illud potiùs ex Polluce conſtat, ad Archontas pertinuiſſe, Athlothetas, quos eoſdem cum Agonothetis fuiſſe diximus ex vnaquaque
Lib. 8. c. 9. tribu ſortitò eligere. Pollux quippe vbi de Archontum officio, ac poteſtate, inter alia id recenſet: τὸ κληροῦν δικαστὰς, καὶ ἀθλοθέτας ἕνα κατὰ φυλὴν ἑκάστην, *ex vnaquaque tribu iudices, & Agonum præſides ſortiri* Habuit itaque Synodus Xyſtica Athletarum Herculaneorum Archontas ſuos, quorum nomina ad rerum publicè geſtarum tempora diſtinguenda in Commentarios referrentur, quibus aſſeruandis, ΟΙΚΗΜΑ ΕΙϹ ΤΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ, hoc eſt Archiuum, ſeu Tabularium ipſis ab Hadriano concedi, habet, vt vidimus, alterum ex marmoribus Farneſianis. Hunc Magiſtra-

tum

tum quo anno M. Vlpio Domeſtico ſtatua decreta eſt, obijſſe L. Vannium Agrippianum, & M.Mettium Amerimnum, noſter hic lapis teſtatur. Agrippiano, inquam, huic L. Vannio cognomen fuit, non *Agrippilno*, vt legẽdum videatur in marmore, in quo Λ pro A, vt frequenter in vetuſtiſſimis codicibus M.SS. & in inſcriptionibus, tùm Græcis, tùm Latinis, recepto, vt apparet, ſcribendi more, cuius veſtigia quoque extant in hoc ipſo marmore, in quo KΛI pro KAI, & bis ΛMEPIMNOΥ pro AMEPIMNOΥ. Quando verò hìc de Archontibus ſermo, id in medium afferre non verebor, quod circa huius Magiſtratus appellationem animaduertere mihi contigit in Nummo rariſſimo Antonini, cuius in auerſa figuræ duæ, virilis vna, muliebris altera dexteram iungentes, circa quas EΦECOC KΥZIKOC, & in ſuperiore nummi parte APXONTOC, poſt literas, quas quidem, quòd extritæ nimium ſint, legere minimè licet, eius verò nomen, qui Archon ibi dicitur exhibuiſſe vix dubitari poteſt. Ex hoc verò nummo vehemens coniectura eſt alterutram harum duarum Vrbium, Epheſum nempe, aut Cyzicum; quarum Vrbium ὁμόνοιαν, ſeu fœderis ſocietatem eiuſdem auerſa repræſentat, Archontes ſuos habuiſſe, quorum nominibus Faſti eius vrbis notarentur. Tales etiam Parij ha-

Ex Muſ.M. Ducis.

buerunt, quorum vnum Astyanactem ex vetustissimo marmore Arundelliano profert Seldenus, talesque Delijs, Melitensibus, Delphis fuisse produnt antiquæ inscriptiones Thes. Gruteriani: vt Neapolim omittam, cuius Archon nominatur in lapide Neapolitano ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ΚΕΡΕΑΛΙΣ, & in altero itidem Neapolitano ΙΤΑΚΚΙΟΣ ΚΑΛΙΔΟΣ ΚΑΙ ΟΥΕΙΒΙΟΣ ΠΟΛΛΙΩΝ, nec non in alio apud Rheinesium, qui lapis ΣΕΛΕΥΚΟΝ ΤΟΝ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΑΡΧΟΝΤΑ ΤΟΝ ΔΙΑ ΠΕΝΤΕ ΕΤΩΝ habet. Qui quidem Archontes in Republica Neapolitana non ea autoritate, & loco erant, quo ἄρχοντες in Atheniensi, vt perperam Historici, & Antiquarij eius vrbis contendunt; sed Duumuirorum eius Coloniæ, aut Quinquennalium, vt in cæteris, magistratum repræsentabant, quod multis probat Rheinesius. Græcas alioquin Vrbes alias alijs Magistratibus Fastos suos consignauisse, certum est, vt Ephoris Spartanos, Iunonis Sacerdotibus Argiuos, Stephanephoris Smyrnæos, quod tùm ex illustri marmore Arũdelliano apparet, in quo fœdus inter ipsos, ac Smyrnæos ictũ incisũ est; tũ verò apertè docet Philostratus his verbis: καὶ στεφανηφόρων ἀρχὴν παρ' αὐτοῖς ἦρξεν, ἀφ' ἧς τοῖς ἐνιαυτοῖς τίθενται Σμυρναῖοι τὰ ὀνόματα. *Stephanephori magistratum apud eos obtinuit* (Heraclides) *à quo Smyrnæi in Fastis* *nomen*

Pag. 400. 405. 1021.

Ex Thes. Grut. Pag. CCCCXXVIII. 2.

Ibid. Pag. MXXVII.

Lib. 3. Var. lect. cap. 16.

In Heraclide.

nomen annis faciunt. Idem ex veteribus quoque nummis conſtat, ac præter inſignem illum Seueri, quem in noſtra de Apamenſi Nũmo diſſertatione exhibuimus, in quo ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ ΑΡΤΕ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΑΜΕΩΝ. *hoc eſt, ſub Agonotheta Artemidoro Magnetum Apamenſium*, alter quoque rariſſimus occurrit in Muſeo Magni Etruriæ Ducis, in quo (pertinet is ad Gallienum) inſcript. ΕΠΙ Π. ΑΙ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟΥ ΙΠΠΙΑΡΧ. ΚΟΤΙΑΕΩΝ. *Sub P. Aelio Demetriano Hipparcho Cotienſium*, vbi Hipparchum, ſeu Præfectum Equitum Magiſtratum ἐπώνυμον licet agnoſcere, vt Ἀρχιερέας omittam, quorum nominibus conſignatos paſſim videre eſt Græcarum Vrbiũ Nummos. Quando verò de Magiſtratibus Gymnaſiorum præcipuè hìc ſermo, haud prætereunda ſilentio inſcriptio marmoris Arũdelliani, in quo, ΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΟΣ ΑΒΑΣΚΑΝΤΟΥ ΤΟΥ ΕΥΜΟΛΠΟΥ ΚΗΦΕΙΣΙΕΩΣ ΕΤΟΣ ΚΓ. vnde conſtat in eo Gymnaſio, ad quod pertinuit vetus hic lapis, Pædotribarum etiam nominibus annorum ſeriem diſtingui ſolitam. Cæterùm de L. hoc Vannio Agrippiano Archonte huius anni in Gymnaſio Herculaneorum, altum ſilentium in monimentis Veterum, vt quid de eo dicamus, nihil omnino occurrat.

Inſcript. XVI.

II.

Η ΙΕΡΑ ΞΥΣΤΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ ΤΩΝ
περὶ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ. ΑΠΟΚΑΤΑΛΥCΕως
εΝ ΤΗι ΒΑΣΙΛΙΔΙ. ΡΩΜΗι ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤων
Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΟΝ. ΔΑΜΑΝ
ΣΑΡΔΙΑΝΟΝ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. ΑΝΤΙΝΟΕΑ. ΑΘΗΝΑΙοΝ
ΕΦΕΣΙΟΝ. ΣΜΥΡΝΑΙΟΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΝ
ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΑ. ΜΙΛΗΣΙΟΝ. ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΝ
ΑΡΧΙΕΡΕΑ. ΤΟΥ ΣΥΝΠΑΝΤΟΣ. ΞΥΣΤΟΥ. ΔΙΑ ΒΙΟΥ
ΞΥΣΤΑΡΧΗΝ. ΚΑΙ ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ
ΠΑΝΚΡΑΤΙΑΣΤΗΝ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ ΔΙC·
ΠΥΚΤΗΝ. ΑΛΕΙΠΤΟΝ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ

Sacra Synodus Xystica (Athletarum) ad Herculem ab hospitio in Regina (Vrbium) Roma habitantium M. Aurelio Demostrato Damæ, Sardiano, Alexandrino, Antinoënsi, Athenienst, Ephesio, Smyrnæo, Pergameno, Nicomediensi, Milesio, Lacedæmonio, totius Xysti Pontifici perpetuo, Xystarchæ, & Balneis Augustorum Præfecto, Pancratiastæ, Periodonicæ, bis Pugili, Inuicto, Paradoxo.

ΣΑΡΔΙΑΝΟΝ. Egregius ſanè atque ætatis ſuæ præſtantiſſimus Athleta fuit Marcus hic Aurelius Demoſtratus, cuius elogium extat in altero hoc monimento Athletico, quod ipſi dicatũ à Synodo Xyſtica Herculaneorum, docet eius inſcriptio. Illum namque, ſi quem alium, victorijs illuſtrem fuiſſe teſtantur Græ-

carum,

carum, atque aliarum etiam vrbium nomina, à quibus ciuitate donatum constat, non alia sanè de caussa, quàm ob palmas ab eo reportatas in agonibus, qui in illis ipsis vrbibus celebrabantur. Procliue siquidem fuit ijs vrbibus, quæ spectaculorum voluptate tenebantur, quales Græcæ præsertim, vt nedum Athletas, quorum conditio erat cum aliqua fortitudinis, ac bellicæ, vt ita dicam, virtutis laude coniuncta, sed Scænicos etiam, atque alios id genus homines in huiusmodi artibus insignes asciscerent in ciuitatem: idque est, quod tanquam omnibus in confesso vsurpat Cicero, in Oratione pro Archia Poeta. Immo & Lycurgi lege decretum ex Plutarcho obseruat Meursius, vt Comoedi, qui in Chytris (erat id Feriarum nomen Athenis) certamine *Attic. lect.* Comico victores euasissent, ciuitate donaren- *lib. IV.* tur, quod antea nō licebat. Plutarchū hæc ipsa narrantem audire operæ pretium est. Εἰσήνεγκε δὲ καὶ νόμον, τὸν περὶ τῶν Κομῳδῶν ἀγῶνα τοῖς χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξόν. Et verò vix vlla fuit olim alicuius nominis vrbs, in qua Agones Gymnici, seu musici, aut alterius generis non celebrarentur. Cuius de rei origine nihil verisimilius, quàm *In Not. ad* quod censuit Seldenus, referendam eam esse *Marm. Arundel. III.* ad Augusti tempora, sub quo effusæ in adulatio-

lationem, Prouinciarum pleræque (vt narrat Suetonius) super Templa & aras, ludos quoque quinquennales penè oppidatim cõstituerunt, quod inferre etiam licet ex illis Horatij.

In Aug. cap. 59.

Epist. 1. l. 1.

Quis circum pagos, & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes
Cui sit conditio dulcis sine puluere palmæ?

Hinc frequens adeò, ac multiplex apud Scriptores, atque in antiquis cuiusuis generis monimentis sacrorum certaminum in tam multis vrbibus mentio, quæ si hìc enumerare velim, nunquam profectò dicendi finem faciam. Vnum mihi omnium instar erit marmor Farnesianum, in quo M. Aurelius Asclepiades ΑΓΩΝΙΣΑΜΕΝΟΣ ΕΝ ΕΘΝΕCΙΝ ΤΡΙCΙΝ ΙΤΑΛΙΑ. ΕΛΛΑΔΙ. ΑCΙΑ, se omnia hæc certamina vicisse autumat. ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΝ ΠΕΙCΗ CΜ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙC. ΙCΘΜΙΑ ΔΙC. ΝΕΜΕΑ ΔΙC. ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ ΕΝ ΡΩΜΗ ΔΙC. ΕΥCΕΒΕΙΑ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΙC. CΕΒΑCΤΑ ΕΝ ΝΕΑΠΟΛΙ. ΑΚΤΙΑ ΕΝ ΝΕΙΚΟΠΟΛΙ. ΑΘΗΝΑC Ε. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΔΙC. ΣΜΥΡΝΑΝ Ε. ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC ΔΙC. ΟΜΟΙωC ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ ΟΛΥΜΠΙΑ ΚΑΙ ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥCΤΕΙΑ. &c. *Olympia Pisis Olympiade CCXL. Pythia Delphis, Isthmia bis, Nemea bis, Capitolinos Romæ bis, Eusebia Puteolis*

teolis bis, Augustalia Neapoli, Actia Nicopoli, Athenas quinquies, Panathenæa Olympia Panellenia Adriania bis, Smyrnam quinquies, Communia Asiæ bis, item Smyrnæ Olympia, & Adriania Olympia, Pergami Augustalia, &c. Quàm magnifica illa quoque marmoris Arundelliani III. in quo Septimius Citharœdus sequentes Agones vicisse dicitur, nempe. ΣΜΥΡΝΑΝ ΟΛΥΜΠΙΑ Η. ΑΔΡΙΑΝΙΑ Ρωμην Β. ΠΟΤΙΟΛΟΥΣ Β. ΝΕΑΝΠΟΛΙΝ Γ. ΑΚΤΙΑ Β. ΤΗΝ ΕΞ ΑΡΓΟΥΣ ΑΣΠΙΔΑ. ΝΕΜΙΑ Γ. ΣΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ. ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ. ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β. ΠΥΘΙΑ ΤΑ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙC. ΕΦΕΣΟΝ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ. ΕΦΕΣΟΝ ΕΦΕΣΗΑ ΒΑΡΒΙΛΛΗΑ. ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ. ΑΘΗΝΑΣ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ. ΣΑΡΔΕΙΣ ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΟΝ. ΤΡΑΛΛΕΙΣ ΠΥΘΙΑ. ΜΕΙΛΗΤΟΝ ΔΙΔΥΜΕΙΑ. ΡΟΔΟΝ ΑΛΕΙΑ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΑ. ΜΑΝΤΙΝΕΙΑΝ. *Smyrnæ Olympia VIII. Adriania Romæ II. Puteolos II. Neapolim III. Actia II. Clypeum ex Argo, Nemea III. Smyrnæ Commune Asiæ, Pergami Augustalia ter, Traianalia Aesculapia Commodalia II. Pythia in Delphis, Ephesi Adrianalia, Ephesi Ephesia, Barbillea, Epidauri Aesculapia, Athenis Adrianalia, Sardis Chrysãthinum, Trallibus Pythia, Mileti Didymeia, Rhodo Halia, Lacedæmonem, Mantiniam.* Perperam verò ni fallor,

lor; Seldenus in huius inſcriptionis verſione Septimiũ Citharœdũ Adrianialia Romæ bis viciſſe facit: nunquam enim, quod ſciam, Adrianialia Romæ inſtituta. Reddẽda illa potius Smyrnæ ſunt, ad quam pertinent, atque ita legendum Σμύρναν Ὀλύμπια Η, Ἀδριάνια, Ῥώμην Β. hoc eſt, *Smyrnæ Olympia VIII. Adriania (Olympia ibidem) ſemel, Romam*, hoc eſt, Agonem Capitolinum *bis*. Neque hæc aliter accipi poſſint niſi marmore ipſo apertè reclamante, in quo vbi nomina vrbium Agonibus adiunguntur, illa his ſemper præmittuntur, vt in illis, Ἔφεσον Ἀδριάνια, Ἔφεσον Ἐφέσηα βαρβίλληα, Ἐπίδαυρον Ἀσκλήπεια, &c. Ῥώμη autem hìc καταχρηστικῶς pro Agone Romano, ſeu Capitolino, vt Ποτίολοι, Λακεδαίμων, Μαντίνεια pro Agonibus, quæ in illis vrbibus celebrabantur. In Capitolino verò Citharœdis etiam locum fuiſſe docent illa Iuuenalis.

Sat. VI.

Quædam de numero Lamiarũ, et nominis Appi
Et farre, & vino Ianum, Veſtamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere.

Namque ad eum locum vet. Scholiaſt. *Ideſt, ſacrificabat nobilis matrona, vtrum citharœdus Pollio eius amatus, in agone Capitolino coronam accipere poſſet*. Quando verò Barbilliorum origo, quorum hìc & in marmore

etiam

etiam Farnesiano mentio, Seldenum virum profectò eruditissimum fugit, eam ipse ex singulari Dionis loco aperiam. Dio itaque in excerptis Peireschianis, quorum ob editionem multum sanè Cl. Valesio debent eruditi, hæc de Vespasiano: Τούς τε ἀστρολόγους ἐκ τῆς Ῥώμης ἐξώρισε, καί τοι πᾶσι τοῖς ἀρίστοις αὐτῶν χρώμενος. ὥστε καὶ διὰ Βαρβίλλιόν τινα ἄνδρα τοιουτότροπον, ἀγῶνα τοῖς Ἐφεσίοις ἱερὸν ἄγειν συγχωρῆσαι, ὅπερ οὐδεμιᾷ ἄλλῃ πόλει ἔνειμεν. *Astrologos etiam Vrbe expulit, etsi peritissimis eorum vteretur, vt in gratiam Barbilli cuiusdam Astrologi Ephesijs sacrum Agonem celebrare concesserit, quod nulli alij Ciuitati indulsit.* Varia quoque ac multa Agonum nomina in Græcis Nummis occurrunt, vt ΣΕΒΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΝΕΙΚΙΑ ΤΑΡΣΟΥ in Seuero, ΑϹΚΛΗΠΕΙΑ ϹΩΤΗΡΕΙΑ ΙΕΡΟΠΥΘΙΑ ΑΝΚΥΡΑϹ in Caracalla, ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ in Elagabalo, ΠΥΘΙΑ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ in Gordiano, ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ in Gordiano, & Caracalla, ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΑΥΓΟΥΣΤΙΑ ϹΕΒΗΡΙΑ in Philippo, ϹΕΒΑϹΜΙΑ in Treboniano Gallo, & in altero Damasci rarissimo, qui ad Alexandrum Seuerum pertinet; ΠΥΘΙΑ ΜΑΓΝΗΤΩΝ in Gallieno. Quibus rarissimum quoque addo, quem in Museo Briennæ Comitis extare, mihi autor est antiquariorum nostræ ætatis facilè princeps Pe-

Ex Thes. Reg.

trus Seguinus S. Germani Antiſſiodorenſis Decanus. In eius anteriori parte caput Alexandri Macedonis, in auerſa verò, menſa cum vaſis certaminum, & inſcriptione, ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. Meminit huius Agonis Alexandrini marmor Farneſianum paulò ante citatum; vbi de M. Aurelio Aſclepiade, ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΤΟ ΠΑΥϹΑϹΘΑΙ ΜΕΤΑ ΠΛΕΙΟΝΑ ΧΡΟΝΟΝ ΑΝΑΝΚΑϹΘΕΙϹ ΕΝ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ ΚΑΙ ΝΙΚΗϹΑϹ ΟΛΥΜΠΙΑ ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ ΕΚΤΗ: *& poſtquam desiiſſem, poſt multum temporis coactus in patria Alexandria, & victor Olympia, Pancratio, Olympiade VI.* Notes obiter velim in dictione illa ΑΝΑΝΚΑϹΘΕΙϹ, ν ante κ poſitum, contra quàm tradiderunt Grammatici, ν ante γ, κ, χ, ξ literas, in γ migrare, quod præcipuè obſeruatum video in vetuſtiſſimis marmoribus Arundellianis, in quibus, Τὸγ χρόνον, ἐχθὲγ καὶ, κατὰ πόλιγ καὶ, τὴγ γραφὴν, πάντων ὧγ καὶ, ἀφ' οὗ ἂγ χρόνου, ἐγ Γρυνέῳ, ἐγ Κυβέλοις ſcriptum reperio, pro τὸν χρόνον, ἐχθὲν καὶ, κατὰ πόλιν καὶ, τὴν γραφὴν, &c. Cuius ſanè ſcripturæ rationem reddere vt vt difficile ſit, nihil de ea veriſimilius dici poſſe exiſtimo, quàm quod ſuſpicatus eſt Adolphus Mekerchus, ν ante γ atque alias literas, quas diximus, mutari in γ, non vt ipſum γ pronuncietur, quod fieri non poteſt; ſed vt ſignificetur il-

lud

lud ν peregrino quodam modo proferendum, quod nulla alia litera præſtari opportuniùs poteſt, quàm ea, quam, quicquid coneris, pronunciare legitimo ſuo ſono non poſſis. Cæterùm priſcis illis temporibus Græcos, ν ſonum quàm maximè vitare ſolitos; illud vehementi indicio eſt, quod ν in μ etiam ante ipſam μ mutarent. Huius ſcripturæ exempla tùm in vetuſtiſſimis Codd. MSS. reperias, tùm in illis ipſis marmoribus Arundellianis; in quibus, ἐμ Μαγνησίᾳ, ἐμ Μαραθῶνι, τὴμ μὲν, τὴμ μητέρα ſcriptum reperio, pro ἐν Μαγνησίᾳ, ἐν Μαραθῶνι, &c. τὴμ μὲμ βουλὴν, & τὴμ ὁμολογίαν, quod obſeruatu dignius, cùm id non alia magis de cauſſa factum appareat, quàm vt literæ durioris ſoni cum adſpirata concurſus vitaretur. γ etiam pro κ paſſim ſubſtitutum in ijſdem marmoribus obſeruo, in quibus, ἐγ Λυκωρείας, ἐγ μὲν, ἐγ δὲ, & alia huiuſmodi, pro ἐκ Λυκωρείας, ἐκ μεν, &c. Hinc verò patet falſò credidiſſe H. Stephanum in ἄγγελος, ἀγγεῖον, & ſimilibus dictionibus librariorum errato inualuiſſe, vt γ pro ν, alteri γ præponeretur, cùm potius contrarium euincatur ex vetuſtiſſimis marmoribus, quorum autoritatem libentius ſequar, quàm M SS. Codd. in quibus ille ἄνγελος, & ἀνγεῖον ſcriptum teſtatur, quibus & addi alia poſſint è lapidibus recentioris æui, quæ extant in Theſauro Gru-

In Paralipom. Gram. Græc.

teri, ἐντυνχαύουσιν pro ἐντυγχαύουσιν, ex Arundelliano XI. & ἔνκτησιν pro ἔγκτησιν, vt in XV. Quòd ſi hac de re ſtatuere quicquam in præſentia liceat, commodius ad eam nihil dici poſſe crediderim, quàm corrupta, aut certe mutata poſterioribus temporibus veteri illa ν literam pronunciandi ratione, variaſſe etiam ſcripturam in ea litera cum alijs copulanda, quibus cum nulla illi antea communio erat. Verùm de his hactenus. Illud verò præclarum, atque eruditorum obſeruatione dignum quod ex hoc inſigni monumento eruere licet de Olympiadibus Alexandrinis, quarum ſexta viciſſe pancratio Aurelium Aſclepiadem diſertè hìc dicitur. Nam de Olympiadibus Eleorum hæc minimè accipienda eſſe præter quam quod ſatis aliunde patet, illud in primis euincit, eundem M. Aurelium Aſclepiadem viciſſe pãcratio ΟΛΥΜΠΙΑ ΤΑ ΕΝ ΠΕΙΣΗ CM. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. vt ex eodem marmore ſupra vidimus, & ad annum primum eiuſdem Olympiadis adnotat Phlegontis Epitomator, ſiue alius quiſpiam Catalogi Olympiadum autor. Olympiadum verò Alexandrinarum nulla mihi, vt nunc eſt, probabilior origo, quàm ab inſtituto Alexandriæ Agone Olympico, cuius & hìc, & in Nummo Brienneo mentio, ſiue is Alexandrinus dictus ſit, quòd in honorem Alexandri ſit inſtitu-

ſtitutus, quemadmodum & ille, quem apud Clazomenios à Cõmuni Ioniæ celebrari ſolitum narrat Strabo, ſiue ab vrbe ipſa denominatus, qua de re liberum cuiuſque iudicium eſto. Plurima igitur (vt ad propoſitum redeamus) ac planè innumera erant certamina, quæ in Græcis, Aſiaticis, Italicis vrbibus celebrabantur, de quibus, vt paucis omnia concludam, vnum Heræ Laodiceni Elogium afferam à Philippo Epigrammatario conſcriptum his verſibus. *Lib. 14.* *Antholog. lib. 4.*

Ἴσως με λεύσσων ξεῖνε ταυρογάστορα
Καὶ στερρόγυιον ὡς Ἄτλαντα δεύτερον
Θαμβεῖς ἀπιστῶν εἰ βρότειος ἡ φύσις.
Ἀλλ' ἴσθι μ' Ἡρᾶν Λαδικῆνα πάμμαχον,
Ὃν Σμύρνα, καὶ δρῦς περγάμου κατέστεφεν
Δελφοί, Κόρινθος, Ἦλις, Ἄργος, Ἄκτιον.
Λοιπῶν δ' ἀέθλων ἣν ἐρευνήσῃς κράτος,
Καὶ τὴν Λίβυσσαν ἐξαριθμήσεις κόνιν.

Nos eos totidem Senarijs ita latinè reddidimus.

Fortaſſe me, hoſpes, mole quòd tauro parem,
Validiſque membris cernis Atlanta alterum,
Stupes, ſatumq; ſanguine humano haud putas.
At diſce me Heran Ladiceum, pammachum,
Cui Smyrna quercu, & Pergamus cinxit comã,
Delphi, Corinthus, Elis, Argus, Actium.
Quòd ſi alia quæris noſſe agonum præmia,
Quæris Lybiſſæ & numerum arenæ noſcere.

Cum

Cùm itaque, vt diximus, infinitus planè fuerit numerus Agonum, qui in varijs vrbibus celebrabantur, non eſt iam cur miremur Aurelium hunc Demoſtratum, qui in inſcriptione noſtra Sardianus, Alexandrinus, Antinoënſis, Athenienſis, Epheſius, Smyrnæus, Pergamenus, Nicomedienſis, Mileſius, Lacedæmonius appellatur, tam multarum ciuitatum hominem fuiſſe. Sic Septimius ille Citharœdus, ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΣ. ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ. ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΟΣ, eiuſque Phonaſcus C. Aelius Agathemerus ΕΦΕΣΙΟΣ. ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ. ΚΑΙ ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΣ nuncupantur in marmore Arundelliano. Sic in Farneſiano M. Aurelius Aſclepiades ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥΣ. ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗΣ. ΠΟΤΙΟΛΑΝΟΣ. ΝΕΑΠΟΛΕΙΤΗΣ. ΚΑΙ ΗΛΕΙΟΣ. ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΒΟΥΛΕΥΤΗΣ. ΚΑΙ ΑΛΛωΝ ΠΟΛΕωΝ ΠΟΛΛωΝ ΠΟΛΕΙΤΗΣ. ΚΑΙ ΒΟΥΛΕΥΤΗΣ. hoc eſt, *Alexandrinus, Hermopolites, Puteolanus, Neapolitanus, & Eleus, & Athenienſis Senator, aliarumque vrbium multarum ciuis, & Senator*. Vides hìc Aurelium Aſclepiadem multarum vrbium non ſolùm ciuem, ſed etiam Senatorem, honorarium ſcilicet, qui honos viris de Republica bene meritis, aut in aliqua facultate inſignibus, eorumque aliquando etiam poſteris tribuebatur, qua de re duo extant Deliorum decre-

decreta in marmoribus Arundellianis, in quibus ij Clinodemo Leboti filio, ac Mendiceo Dioclis, inter alios honores ipsis, eorumque posteris, ΚΑΙ ΠΡΟΣΟΔΟΝ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΒΟΥΛΗΝ, *accessum ad Curiam* decreuere: nam Seldeno haud assentior, qui illa ἔτι δ' αὐτοῖς ἐν Δήλῳ γῆς καὶ οἰκίας ἔνκτησιν καὶ πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πρώτοις μετὰ τὰ ἱερὰ, sic latinè reddidit: *fore item eis in Delo, & prædij, & domicilij possessionem, & prouentum, inter Senatum Populumque, primis post Sacra*. Huiusmodi ferè honos hodiéque apud Venetos viris principibus tribui solet, vt in Magnum, vt vocant, Consilium, cum facultate quoque suffragij ferendi admittantur. Huc etiam pertinent illa Philostrati: Δαμιανῷ τοίνυν ἐλλογιμώτατον μὲν καὶ τὸ ἄνω γένος, καὶ πλείστου ἄξιοι τῇ Ἐφέσῳ. εὐδοκιμώτατοι δὲ, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ φύντες. συγκλήτου γὰρ βουλῆς ἀξιοῦνται πάντες ἐπ' εὐδοξίᾳ θαυμαζόμενοι, καὶ ὑπεροψίᾳ χρημάτων: *Damianus igitur & nobilissima stirpe ortus, eiusque posteri Ephesi in summo semper honore, atque existimatione habiti, quippe qui in Senatum omnes adscribuntur, atque optima fama, ac diuitiarum contemptu in admiratione sunt.*

Inscript. XII. & XIV.

In Damiano.

ΠΑΝΚΡΑΤΙΑΣΤΗΝ. Pancratiastes qui sit paucis docet Aristoteles; vbi varia Athletarum genera definit in hunc modum: ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως, καὶ κινεῖν ταχὺ,

Rhetori. Cap. V.

καὶ πόῤῥω, δρομικός. ὁ δὲ θλίβειν, καὶ κατέχειν, παλαιστικός ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πυκτικός. ὁ δὲ ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικός. ὁ δὲ πᾶσι, πένταθλος. *Nam qui potest crura proijcere certo quodam modo, & mouere & velociter, & longè, cursor est: qui verò stringere, & tenere, luctator: at qui pellere plaga, pugil: qui autem vtrisque his, Pancratiasticus: qui demum omnibus, quinquertio*. Vnde manifestum est pancratium, vt Plutarchus etiã docet, quid mixtum esse ex lucta, & pugilatu, pancratiastas verò, qui eiusmodi certaminis genere exercebantur, quibus, vt notat Nicephorus Gregoras, licebat, Οὐ μόνοις τοῖς νόμοις τῆς πάλης, ἀλλὰ καὶ τοῖς τῆς πυγμῆς χρῆσθαι πρὸς τὸ νικῆσαι: & Pancratiastæ Suidæ ideò dicti, ὅτι ταῖς χερσί, καὶ ποσὶ πυκτομαχοῦσι. Hoc sanè exercitationis genus adeò olim Gymnicis alijs præstare videbatur, vt παμμάχιον, hoc est, veluti certaminum omnium complexus diceretur, & Pancratiastæ πάμμαχοι vt ex Platonis loco conficit Faber, in quo Euthydemus, & Dionysodorus ita Pancratiastæ, & Pammachi appellantur, vt inde Pancratiasten, & Pammachum idem fuisse haud dubiè pateat. Malè verò Causabonus ex Polybio *Calliam Quinquertionem* vertit, qui in Græco est Καλλίας ὁ παγκρατιαστής, quasi idem fuerit παγκρατιαστής, & πένταθλος, quod iam obseruauit doctissimus Valesius in Præfatione ad

Lib. 2. Symposiac. qu. 4.

In lib. Synes. de Insomn.

In παγκρατιασταῖς.

Agonist. lib. 1. Cap. 30.

ad Collectanea Constantini Porphyrogennetæ. Cæterùm duplex Pancratij genus fuisse ex Mercuriali disco, vnum quod luctæ species erat, ac volutatorium nuncupabatur, quòd ij, qui in eo se exercerent, humi prostrati, mutuòque implicati, dum alter alterum sibi subijcere nitebatur, humi volutarentur: alterum ex lucta, & pugilatu constabat, à quo Pancratiastas propriè appellatos diximus. Atque hinc fluxisse reor, vt aut luctator pro Pancratiaste, aut Pancratiastes pro pugile, ac vicissim Pugil pro Pammacho, seu Pancratiaste promiscuè vsurpentur ab Autoribus. In nostra verò atque alijs Athleticis inscriptionibus Pancratiastæ vocabulum speciosissima notione vsurpatum de ijs, qui in luctæ, ac pugilatus certaminibus, quibus constabat pancratium, excellerent, vt M. hic Aurelius Demostratus.

Lib. 2. cap. 28.

ΔΙС ΠΥΚΤΗΝ. Quod huic M. Aurelio Demostrato peculiaris loco laudis tribuitur, Pugilẽ fuisse, haud cõgruere videtur cum ijs, quæ de pugilatu scripta reperias apud non paucos Scriptores, ex quibus conijcere est, id genus exercitationis, non eodem atque alias Athleticas in pretio habitum, immo non spectatorum modo, sed Poëtarum etiam iocis, atque dicterijs obnoxium fuisse, vt vel ex illis quatuor Lucillianis Epigrammatibus abundè satis patet, cuius rei nulla sanè alia potuit esse

Anthol. 2.

caussa, quàm quòd Pugiles cestibus pugnando miris modis os sibi vicissim cruentarent, atque ita exossarent, vt de Pugile, Epigrammate primo ex modò citatis illud sit dictum.

Καὶ κέκριτο ἀλλότριος, μηδὲν ὅμοιον ἔχων. eòque etiam allusum est illis versibus, qui in M. Pomponium Marcellum Grammaticum extant apud Suetonium.

De Clar. Gramm.

Qui caput ad læuam didicit, glossemata nobis
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis!

Lib.1. c.63

Atque hinc Artemidorus. Πυκτεύειν παντὶ βλαβερόν. πρὸς γὰρ ταῖς αἰσχύναις, καὶ βλάβας σημαίνει. καὶ γὰρ ἄσχημον γίνεται τὸ πρόσωπον, καὶ αἷμα ἀποκρίνεται. ὅπερ ἀργύριον εἶναι νενόμισται. *Pugillatu decertare omnino nocuum est, supra turpitudinem enim, etiam damnum significat; nam & facies deturpatur, & sanguis effunditur, qui pro argento accipitur.* Qualecumque verò de Pugilibus vulgi olim iudicium fuerit, certum vtique est, Pugilatum & antiquissimum fuisse, & inter βαρεῖς Agones numeratum, qui quòd difficiles in primis, ac laboriosi essent, pluris fiebant quàm ij, quos κούφους, hoc est leues appellabant. Ac Pugilatum sanè magnificis in cælum laudibus extollit Dio Chrysostomus in geminis Melancomæ Pugilis illius celeberrimi encomijs, vbi rei militari Athleticam præferre non veretur, quam quidem, τῶν πρὸς ἀνδρείαν ἔργων κάλλιστον ἅμα καὶ ἐπιπονώτατον

των: *inter eas exercitationes, quæ ad fortitudinem conferunt, honestissimam simul, & laboriosissimam* prædicat: inter Athleticas verò exercitationes propterea Pugilatum elegisse sibi Melancomam, quòd esset earum omnium difficillima, ac maximè laboriosa, vt re vera erat. Nam inde fortasse est, quod in illis Isidori, *genera Gymnicorum quinque saltus, cursus, iactus, virtus, atque luctatio*, Pugilatus virtutis nomine designetur, vt placuit Viro docto. Pugiles sanè non alia de caussa, vt opinor, Athletæ veri à Galeno dicti, & κατ' ἐξοχὴν Olympionicarum catalogo sæpe adscripti, vt Glaucus Carystius quinta & vigesima Olympiade, & alij. Quin & diuinis honoribus Pugiles olim culti, quemadmodum de Pugile quodam Thasio, ac de Cleomede Astypalæensi tradit Oenomaus Philosophus apud Eusebium, & Pugilis cognomentum Dijs ipsis tributum, quo nomine, & Apollini apud Delphos sacrificari solitum autor est Plutarchus. Facit etiam nõ nihil ad astruendam Pugilatus dignitatem ea saltem ætate, quo monimentum istud positum est Aurelio Demostrato, quod ille ΔΙC ΠΥΚΤΗC in eo renunciatur; id enim indicio est, insigne in primis certamen illud fuisse, in quo Victoriarum numerus inter Athleticos honores notaretur.

Lib. 18. Origin. c. 18.

De facult. Aliment. lib. 1. cap. 2.

Præparat. Euãgel. lib. 5. cap. 34.

Lib. 8. Symposiac. qu. 4.

ΑΛΕΙΠΤΟΝ. Aliud profectò agebat Mer-

curialis, cùm ex inſcriptione Romana Demetrij Hermopolitæ, ΑΛΕΙΠΤΟΝ *Aliptam* vertit. quod non alia ſanè ratione, ſeu potius errore ductus fecit, quàm quòd credidit fabrili errato, & ibi ἄλειπτον pro ἀλείπτην, & inferius ἄλειπτος pro ἀλείπτης ſcriptum, quod quàm probabiliter ſit ſuſpicatus in præſentia non quæro. Vnum certè ad priorem lectionem in marmore retinēdam ſufficere ei debuerat, Aliptæ officium, vel ſe autore, non eius dignationis fuiſſe, vt eius mentio eſſet facienda poſt magnificas appellationes Pancratiaſtæ, Periodonicæ, Paradoxi: cùm & alioquin obuia ſatis eſſet in re Athletica notio huius verbi λείπεσθαι pro vinci, & inferiorem eſſe in certamine, quod iam animaduertit Cauſabonus in Diatriba ad Dionem Chryſoſtomum, ex Oratione priori de Melancoma. Locum ipſum Dionis, quoniam ad rem noſtram egregiè facit, huc adſcribam. τί γαρ' τί ἀφ' οὗπερ ἤρξατο ἀγωνίζεσθαι Πυθοῖ, πρῶτος μὲν ὧν ἴσμεν, ἄλειπτος (ſic legendum, vt Cauſabonum quoque legiſſe video, non ἀήττητος, vt peſſimè in vulgatis) διεγένετο, πλείσους, καὶ μεγίσους στεφάνους ἀνελόμενος, καὶ ἀνταγωνισαῖς οὔτε φαύλοις, οὔτε ὀλίγοις χρησάμενος, καὶ τὸν πατέρα ἐνδοξότερον ὄντα, τὸν Μελαγκόμαν ἐκεῖνον τὸν ἀπὸ τῆς Καρίας, ἄλλους τε ἀγῶνας, καὶ Ὀλυμπίασι νενικηκότα, οὐδέπω ἀνὴρ ὑπερέβαλλετο, οὐ γὰρ ἐκεῖνος ἄλειπτος. *Proinde ex*

De arte Gymnaſt. l. 1. Cap. 12.

quo

quo cæpit certare in Pythicis ludis, primus omnium quos scimus, nunquam victus fuit, plures, & maximas coronas reportans, aduersariis neque imbecillis vsus, neque paucis, & patrem, qui notior erat, Melancomam illum à Caria, qui & aliis agonibus, & ludis Olympicis vicerat, non dum virilem ingressus ætatem superauit. Non enim ille nunquam non victus discessit. Ἄλειπτος igitur idem ac ἀήττητος *inuictus*, nō *indefessus*, vt apud Gruterum in versione inscriptionis Farnesianæ. Vsitata verò quàm maximè in re Athletica huiusmodi vocabula στερητικά. Sic in marmore Farnesiano Aurelius Asclepiades non ἄλειπτος modò, sed ANEKKΛHTOC quoque, & ACINEΞωΣTOC vocatur. Ad postremi huius vocabuli illustrationem pertinet quod narrat Rheinesius, vidisse se apud Thomam Seghetum in tabula è marmore aliquo expressa picturam paris vnius luctatorum disco insistētium, qui obuersis dorsis, ac clunium potissimum oppositione, & impulsu sibi contra niterentur, qualesque aliquis rectè diceret προσαπτομένους σωματομαχεῖν. In hoc certaminis genere qui victor extitisset, eum propriè ἀσινέξωστον appellatum iri facile mihi persuaserim, hoc est quem aduersarius deturbare statu, & loco depellere nō potuit, si hæc, germana insolentis huius Athletici vocabuli significatio, de qua meliora in præsentia non succurrunt. *Epist. XXV.*

ΑΓΑ-

III.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
Η ΙΕΡΑ ΞΥϹΤΙΚΗ ϹΥΝΟΔΟϹ ΤωΝ ΠΕ
ΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΘΛΗΤωΝ ΑΝΕϹΤΗ
ϹΑΝ ΕΝ ΤΗ ΒΑϹΙΛΙΔΙ ΡωΜΗ ΜΝΗ
ΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΚΛ' ΡΟΥΦΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ Α
ΠωΛΛωΝΙΟΝ ΠΕΙϹΑΙΟΝ ΔΙϹ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΝ ΚΑΙ ΥΙΟΝ ΚΛ' ΑΠΟΛΛωΝΙΟΥ
ΖΜΥΡΝΑΙΟΥ ΟϹ ΚΑΙ ΔΙΑΔΟΧΟϹ ΕΓΕΝΕ
ΤΟ ΤΟΥ ΙΔΙΟΥ ΠΑΤΡΟϹ ΚΑΙ ΑΥΤΟΥ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΥ ΤΕΛΕΙΟΥ ΑΝΔΡωΝ ΕΝ ΤΟΙϹ ϹΚΑΜΜΑϹΙΝ
ΤΗϹ ΑΡΧΙΕΡωϹΥΝΗϹ ΤΟΥ ϹΥΝΠΑΝ
ΤΟϹ ΞΥϹΤΟΥ ΟΥΤΟϹ ΔΕ ΕΓΕ
ΝΕΤΟ ΚΑΙ ΓΕΝΟΥϹ ΥΠΑΤΙΚΩΝ

Quod felix faustumque sit.

Sacra Synodus Xystica Athletarum ad Herculem (habitantium) posuerunt (statuam) in Regina (Vrbium) Roma memoriæ ergo Cl. Rufo, qui & Apollonius, Pisæo, bis Periodonicæ, & filio Cl. Apollonij Smyrnæi, qui & successor fuit patris sui, periodonicæ itidem consummati Athletarum in scammatis, in sacerdotio vniuersi Xysti. Hic verò fuit & de genere Consularium.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. Solemni hac formula Græcos præfari solitos in suis Psephismatis tritum est, cui respondet altera itidem notissima apud Latinos, QVOD BONVM FELIX FAVSTVMQVE SIT: qua & nos in

huius

huius inſcriptionis interpretatione vſi ſumus, Appiani autoritate ducti, qui hanc ipſam formulam Romanorum, ex edicto Triumuiralis proſcriptionis, atque alio Lepidi, quæ integra retulit, ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ reddidit, vt iam obſeruauit Briſſonius. Non eo tamen inficias poſterioribus temporibus cùm iam latini ſermonis elegantia conſenuiſſet, illam etiam Edictis, ſeu Decretis præfigi ſolitam, BONVM FACTVM, quò alluſum manifeſto eſt à Tertulliano, qui Zephyrini Pontificis Romani decretum ſugillans de lapſis mœchis, ac fornicarijs ad pænitentiam recipiendis, *ò Edictum* (inquit) *cui adſcribi non poteſt Bonum Factum.* *Bell. Ciu. lib. IV.* *De form. l. 3* *Lib. de Pudicit.*

ΜΝΗΜΗϹ ΧΑΡΙΝ. Sic in veteri lapide apud Gruterum. *Pag. MCXXVII. 7.*

ΕΥΣΤΟΧΙΟΣ
ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΣ
ΤΗ ΘΥΓΑΤΡΙ
ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ

Euſtochius, & Athenais filiæ memoriæ gratia.

Et in altero apud eumdem. *Pag. MCXXVII. 3.*

ΕΤΕΙΜΗϹΑΝ
ΑΠΦΙΑΝ. ΓΟΝΕΙΣ
ΜΕΜΝΩΝ Κ. ΔΙ
ΔΩ Κ. ΑΔΕΛΦΟΣ
ΜΕΝΕΜΑΧΟΣ
ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ.

Appiæ Memnon, & Dido parentes, & frater

ter Menemachus posuerunt memoriæ gratia. Huius quoque formulæ vestigia non rarò occurrunt in latinis monimentis, vt MEMORIAE AGRIPPINAE in veteribus Nummis, & in antiqua inscriptione.

In Thes. Grut. pag. XLII. 3.

LVNAE AVG. SACRVM
IN HONOREM. ET MEMORIAM
AEMILIAE. L. F. MATERNAE
L. AEMILIVS. MATERNVS
ET. FABIA. FVSCA. PARENTES
S. P. F. C.

In Monimentum.

Hinc factum est, vt monimenta mortuorum, quo nomine Festo autore, venit quicquid ob memoriam alicuius factum est, memoriæ appellarentur. Id disertè docet his verbis S. Augustinus. *Sed non ob aliud, vel memoriæ, vel monumenta dicuntur ea, quæ insignia fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos, qui viuentium oculis morte subtracti sunt, ne obliuione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitari. Nam & memoriæ nomen id apertissimè ostendit, & monumentum, eò quòd moneat mentem; idest admoneat, nuncupatur. Propter quod & Græci μνημεῖον vocant, quod nos memoriam, seu monumentum appellamus.* Augustino verò adstipulatur vetus hæc inscriptio.

De Cura pro Mortuis Cap.40.

Apud Gruter. pag. MCVII.1.

AVREL. VETERAN
NVS. BENEF. LATI
CLAVI. LEG. XIII. GE
M. IN ACIE. DESI
DERATVS QVI. VIX
IT. ANNOS. XXVI.
MENSES. VII. DIES
XV. AVREL. SECV
NDIANVS. IMA
GINIFER. LEG. SS. CON
SVBRINO. BENEME
RENTI. MEMO
RIAM. POSVIT.

Et alia Romana: *Ibid. pag. DCCCXXVII. 2.*

D. M.
SEPONIA. PROCLINA CONIVGI
DVLCISSIMO. AVRELI. MERCVRIO
MEMORIAM. ISTAM. SE. VIBA.
CONPARAVIT. SIBI. ET. SVIS. PO
STERISQVE. ITEM. LIBERTIS. LIBE
RTABVSQVE EORVM.SI.QVIS.AVTEM
ISTAM. MEMORIAM. EX.NVMERO
FILIORVM SIBE. LIBERTORVM.
DISTRAHERE.VOLVERIT.INF.ÆR

Neque verò tantum in monimentis ſepulchralibus eiuſmodi formulam, vt nempe fierẽt

memoriæ gratia; ſed in inſcriptionibus etiam, quæ ſtatuis viuentium apponebantur obſeruo, cuius ſane veſtigia deprehendere licet in veteri hac inſcriptione, nuper reperta.

Extat in Aedibus Barberin.

CHEIONIO CONIVCIO V C
OB EGREGIA FACTA ET RA
RVM VETERIS SANCTITATIS
EXEMPLAR INLVSTRATVRI
PROSAPIAE SVAE CVIVS OPE
AVCTAM INSTAVRATAMQ
TOTA SE PICENI ET FLAMI
NIAE PROVINCIA GRATV
LATVR QVO IVDICANTE QVA
SI QVODAM PARENTE
PRIMEVO SINGVLAE CI
VITATES IN PRISTINAM FACI
EM REVOCATAS ESSE LETAN
TVR FORONOVANI
DESIDERIA TOTIVS
PROVINCIAE PRAE
CEDENTES STATV
AM AD VIVACEM RECOR
DATIONEM ET SEMPITERNAM
MEMORIAM POSVERVNT

ΚΛ. ΡΟΥΦΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛωΝΙΟΝ. Sic in inſcript. Romana Demetrij Hermopolitæ. Μ. ΑΥΡ. ΑCΚΛΗΠΙΑΔΗC Ο ΚΑΙ ΕΡ-

ΜΟ-

ΜΟΔωΡΟC. & in alia, quam suprà adscripsimus L. AVRELIVS PANNICVLVS QVI ET SABANAS. Et Zonaras de Mauricio: ἐγράφετο δ' ἐν τοῖς συμβολαίοις Μαυρίκιος ὁ καὶ Τιβέριος. Veteres autem, & non vno nomine appellatos, & nomen etiam aliquando mutare solitos ex Aristide obseruo, nam præter quàm quod ille sibi Theodori nomen adiunctum ab Aesculapio narrat, hominis cuiusdam Nicæi meminit, τῶν ἐστρατηγηκότων Ῥωμαίοις, cui quidem Σηδᾶτος ὄνομα, τὸ δ' ἀρχαῖον, Θεόφιλος: idemque colligi posse videtur ex illis Ciceronis in Verrem. *Non tibi obÿcio, quod hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium Niconis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optimè facto spoliasti, &c.* *Tom. 3. Annal,* *Sacr. Serm. IV.*

ΠΕΙCΑΙΟΝ. Pro Πισαῖον consueto, vt iam monuimus, ει, pro, ι, scribendi more, quemadmodũ & ΠΕΙCΗ in marmore Farnesiano, & ΠΕΙΣΑΙΩΝ in Arundelliano IX. Πισαῖον, cuius τὸ ἐθνικὸν Stephano, Πισαῖος, eidem vrbs Πελαγονίας est. Sed vt illum minimè audiamus facit præter alia, quod etiam in eo peccat, vt iam notarunt eruditi, quod illi Πελαγονία χῶρα Σικελίας, quæ Geographis communiter Macedoniæ est, ideóque Τριπολῖτις Straboni dicta, quòd tribus vrbibus constaret ea regio. Harum vnam fuisse oportet Πισαῖον Stephani, si *Lib. VII.*

illa in Pelagonia ſtatuenda ſit. Sed haud temerè ipſi credendum, cùm nulla huius vrbis mentio ſit apud veteres Geographos, & Πισαῖος commodè alioquin ſit Claudius hic Rufus à Piſa τῆς Ὀλυμπίας.

ΔΙC ΠΕΡΙΟΔΟΝ. Περίοδος hìc pro περιοδονείκης, vt in geminis inſcriptionibus antea illuſtratis, παράδοξος pro παραδοξονείκης; ſic & πένταθλος pro eo, qui quinque illis Athleticis agonibus certaret, vt apud Ariſtotelem loco in Rhetoricis iam citato; & Laërtium, à quo Democritus, ὡς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος, *verè in philoſophia Pentathlus* dicitur. Eadem ratione à Theodoro Metochita, atque alijs Græcis Scriptoribus recentioris æui, Gregorius Magnus Διάλογος *Dialogus*, pro Dialogorum Scriptore appellari ſolitus. Quod diſertè teſtatur Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus in Actis legationis à ſe obitæ Othonum Auguſtorum, & Adhelaidæ nomine ad Nicephorum Phocam. *Romanus enim clericus* (ait ille) *poſtmodum vniuerſalis Papa Gregorius, qui à vobis appellatus eſt Dialogus, Eutychium C.P. Patriarcham hæreticum, ab eiuſmodi hæreſi liberauit, &c.*

In Democrito.

In hiſt. Rō.

ΖΜΥΡΝΑΙΟΥ. Vetus eſt τοῦ Σῖγμα apud Lucianum querela de turbata ſibi poſſeſſione ὑπὸ τοῦ Ζῆτα in Ζμύρνα. Ac Ζ quidem pro Σ non modò vſurpatum reperias in voce ΖΜΥΡΝΑ,

In Iudicio Vocal.

NA, quod iam obſeruauit Spanhemius,ſed in alijs etiam, quod conſtat ex veteri lapide, vbi ΚΟΖΜω pro ΚΟΣΜω. Nonnunquam verò etiam pro Ξ, vt in nummo Philippi, in quo ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΥ pro ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & in alio Caracallæ,in cuius auerſa inſcriptio, ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΖΑΝ (hoc eſt ΑΛΕΖΑΝΔΡΕΩΝ) ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙ. Neque verò Claudius hic Apollonius, quòd Smyrnenſis ſolũmodo ciuis fuerit, contemnendus Athletas exiſtimandus eſt. Multarum enim Ciuitatum loco illi eſt, vel ciuem natum eſſe, vel adſcriptum (vtroque enim modo Cl. Apollonius Smyrnenſis dici potuit) in ea vrbe, in qua nobiliſſimi totius Aſiæ agones celebrarentur, cuiuſque Gymnaſium Philoſtratus τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγαλοπρεπέστατον, *omnium in Aſia magnificentiſſimum* appellat in Polemone, cui, poſteriſque eius in Adrianijs Olympijs præſidendi ius præcipui honoris loco à Smyrnæis tributum narrat.

Grut. pag. LXXXVI. 8.

Ex Muſ. Chiſio.

In Theſ. M. Ducis.

ΟC ΚΑΙ ΔΙΑΔΟΧΟC ΕΓΕΝΕΤΟ ΤΟΥ ΙΔΙΟΥ ΠΑΤΡΟC. Nimirũ in Sacerdotio vniuerſi Xyſti;nã huc referũtur illa, ΤΗC ΑΡΧΙΕΡωCΥΝΗC ΤΟΥ CΥΝΠΑΝΤΟC ΞΥCΤΟΥ, quæ à ſuperioribus, interiecta parentheſi, aliquanto longiùs diuiſa ſunt. Occurrunt & alia in antiquitate exempla huiuſmodi Sacerdotiorum, quæ hæreditario iure in familijs con-

continuarentur. Tale fuit illud Iouis Liberatoris, quod Mæander Sami Tyrannus sibi, ac successoribus postulat apud Herodotum in Thalia. Tale etiam Pontificatus Hebræorum,
Pag. 96. quem παῖς παρὰ τοῦ πατρὸς διεδέχετο, vt cum Photio loquar, à quo & Iosephus Historiarum Scriptor, ἱερεὺς καὶ ἱερέων τὰ πρὸς πατρὸς
Cod. LXXVI. ἄνωθεν καταγόμενος dicitur, hoc est, *& sacerdos ipse, & à sacerdotibus paternum genus ab origine vltima ducens*. ἴδιος verò πατὴρ, hìc κατὰ πλεονασμὸν dicitur, vt passim in inscriptionibus, in quibus, pater ΕΠΟΙΗΣΕ ΤΩ ΙΔΙΩ ΤΕΚΝΩ, vir ΤΗ ΙΔΙΑ ΓΥΝΑΙΚΙ, & alia huiusmodi.

ΚΑΙ ΑΥΤΟΥ ΠΕΡΙΟΔΟΥ ΤΕΛΕΙΟΥ. A patre quoque Cl. Apollonio, Cl. huic Rufo decus quæritur, quale Polycrati cuidam Argi-
Lib. 5. uo tribuit Polybius, διὰ τὴν Μνασιάδου τοῦ πατρὸς δόξαν ἐκ τῆς ἀθλήσεως. Eo vero patre nasci, qui περίοδος τέλειος fuerit, non vltima laus putanda est illius, qui inter Athletas eximius prædicetur. Ita (vt ait Philostratus in Hermocrate) εὐκλεέστερος μὲν Ὀλυμπιονίκης ὁ ἐξ Ὀλυμπιονικῶν οἴκου, *Olympionices gloriosior quidem est, qui sit ex Olympionicarum stirpe*. Paucos enim fuisse (vt ferè in vnaquaque re accidit) verisimile est, qui in omni genere certaminum consummati euaderent, quales qui τέλειοι audirent in Athletica, quod sanè vocabulũ frequenter occurrit apud Apostolum, ac plerosque SS Pa-

trum, vbi allegoria ducta ab Athletis, homo Christianus ad veram, absolutamque virtutem fingitur, formaturque. τελέιου certè titulum non nisi post multa laboris, ac discriminis plena certamina Athletæ merebantur, atque eleganter Polybius Romanos, Athletas consummatos vocat, quòd (ipsum audire præstat) τῷ κατακόπτεσθαι συνήθειαν ἐσχηκότες ὑπὸ Γαλατῶν, οὐδὲν ἠδύναντο δεινότερον ἰδεῖν, οὐδὲ προσδοκῆσαι τῶν αὐτοῖς ἤδη πεπραγμένων. ἐξ ὧν πρός τε Πύῤῥον ἀθληταὶ τέλειοι γεγονότες τῶν κατὰ πόλεμον ἔργων συγκατέστησαν, *assiduis per Gallos cædibus affecti, nihil deinceps terribilius, aut videre, aut pati poterant ijs, quæ iam acciderant, vnde aduersus Pyrrhum Athletæ perfecti bellicorum certaminum euasere.*

ΑΝΔΡΩΝ ΕΝ ΤΟΙϹ ϹΚΑΜΜΑϹΙΝ. Ἄνδρες hìc figuratè pro Athletis: neque aliter in antiquo marmore.

Apud Grut. pag. CCCXVI. 2.

ΟΛΥΜΠΙΑ	ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ
ΕΝ ΑΘΗΝΑΙϹ	ϹΕΒΑϹΤΑ
ΑΝΔΡΩΝ	ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΛΙΝ	ΠΑΛΙΝ

Σκάμματα vero Hesychio ἀγῶνες, στάδια, propriè locus, in quo Athletæ pugnabant, vt in Basi Farnesiana, vbi M. Aurelius Asclepiades, ἐν αὐτοῖς τοῖς σκάμμασιν στεφανωθεὶς, in ipsis Scam-

Scammatis, hoc eſt in ipſa arena,ſeu certaminis loco coronatus legitur. Σκάμμα verò ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, quòd foſſæ leuiter depreſſæ ſpeciem præferret,extra quam Athletis tranſgredi non liceret, quò pertinent illa Ciceronis: *Siquidem eſt peccare tanquam tranſilire lineas.* Nam lineas καταχρηστικῶς vſurpari pro Scammate apud Autores ſæpius reperias. Corrigendus obiter Heſychius,apud quem mendoſè, Σίλλας ἔμμετρον σκάμμα,pro Σιλλὸς ἔμμετρον σκῶμμα. Σιλλοὶ ἐπισκώμματα ſunt Etymologici autori, atque ipſi etiam Heſychio,apud quem Σιλλὸς, ἀναφθαλμαντὸς, μῶμος, κακολογία, καὶ χλευασμὸς, quibus adſtipulantur illa Aeliani: σιλλαίνοι ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, τὸν δὲ σιλλὸν ψόγον λέγουσι μετὰ παιδιᾶς δυσαρέστου: ne quid de Timonis Sillis in præſentia dicam,

Paradox. 3.

In Σίλλας.

Lib. 3. Var. Hiſt.

ΟΥΤΟϹ ΔΕ ΕΓΕΝΕΤΟ ΚΑΙ ΓΕΝΟΥϹ ΥΠΑΤΙΚΩΝ. Claudiũ noſtrũ hunc Rufum fuiſſe de genere Conſulariũ verba ipſa inſcriptionis diſertè adeò ſonãt, vt ὑπατικοὺς aliter interpretandi minimè locus ſit, licet quinam hìc Conſulares intelligendi, iure ambigi poſſit. Illud parum veriſimile videtur, ὑπατικοὺς hoc loco accipiendos veteri illa notione,quatenus viros Conſulares, hoc eſt qui Conſulatum geſſiſſent ſignificabat: non quòd neſciam Conſulatu Græcos etiam homines ab Imperatoribus dignatos, vt Faſti ipſi docent; ſed quòd à vero alie-

ro alienum videatur dignitatem omnium amplissimam viluisse adeò, vt ab ea quasi hæreditario iure appellaretur noster hic Athleta. Neque id arridet, vt Rufi huius maiores, Consules municipales faciam, quales in colonijs, & municipijs extitisse crediderunt Viri docti, qualesque Neapolim olim habuisse contendunt autores præcipui, qui de antiquitatibus eius vrbis scripserunt, quos strenuè confutat Rheinesius. Vt enim prostrato demum im- *Lib.6. Var.*
perio, quod voluit Berterius, magistratus mu- *Diatrib.* 1.
nicipales Consules passim in Italia sint appel- *cap.* 10.
lati (quæ quidem opinio nescio, an ita firmis argumentis innitatur) id etiã in Græcis colonijs obtinuisse, antiquioribus præsertim temporibus, nihil est quod suadeat. Sũt & ὑπατικοὶ, Consulares absolutè; seu Rectores, ac Præsides Prouinciarum, quos aliter ὑπατικοὺς ἡγεμόνας, & ὑπατικοὺς δικαιοδότας alicubi vocat Strabo, quique, ni fallor, Augusto imperante, occasione partitionis Prouinciarum, ijs primùm regendis tanquam propria magistratus appellatione adhibiti, subsecutis temporibus ad eã dignitatis amplitudinem peruenere, cuius vestigia licet agnoscere in Casiodoro. *Lib.VI.Var*
Hac planè notione in inscript. Cretẽsi, ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΟΣ ΔΟΣΙΘΕΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ *Apud Grut.*
Ο ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ ΥΠΑΤΙΚΟΣ ΤΗΣ ΚΡΗ- *p. MXC. 2.*
ΤΩΝ ΕΠΑΡΧΙΑΣ, *Oecumenius Dositheus Ascle-*

piodotus clarissimus Consularis Prouinciæ Cretæ, & alij, *Consulares* appellantur in antiquis marmoribus apud Gruterũ. Ex genere igitur τῶν ὑπατικῶν dici etiam potuit hic Rufus, quòd non nemo ex eius maioribus Prouinciam aliquã tanquam Consularis administrasset, aut, quod verisimilius etiã videatur, Consularitatẽ impetrasset per honorarios, seu vacantes (vt cum Cassiodoro loquar) codicillos, quibus, inclinato iam imperio, dignitates etiam amplissimæ conferri solebant, vt qui huiusmodi codicillos obtinerent, magistratus, atque honores ἀπράκτους, seu titulo tenus adipiscerentur; quò pertinent illa Lampridij in Alexandro: *Pontificatus, & Quindecimuiratus, & auguratus codicillares fecit, ita vt in Senatu allegerentur.* De hisce verò honorarijs dignitatibus multa in Cod. Theodos. vbi huiusmodi etiam Consularium honorariorum mentio, qui *insignibus Consularium emendicatis, atque adsimulaticijs vestiti dicuntur* L. 5. eiusdem tituli. Atque hinc iam intelligere facilius licet, cur è Græculis Sophistis tam multi ὑπάτοις adscripti, vel ἀπὸ ὑπάτων genus ducentes occurrant apud Philostratũ: nihil enim apud eum frequentius; apud quem aliquando ὕπατον etiam pro Consule, aut Consulari non *adumbrato*, sed in *actu posito* (vt lex loquitur) vsurpari non negarim, vt in Antipatro: ὑπάτοις δὲ ἐγγραφεὶς ἦρξε μὲν

Var. lib. VI.

Tit. de Honor. Codicil.

τοῦ

τοῦ τῶν Βιθυνῶν ἔθνους· δόξας δὲ ἑτοιμότερον χρήσασθαι τῷ ξίφει τὴν ἀρχὴν παρελύθη. Quæ sic verterem. *Consularis factus, Bithyniæ quidem præfuit, sed quòd iure gladij abuti visus esset, magistratu abdicatus est*, & in Niceta: ἀνὴρ ὕπατος, ᾧ ὄνομα Ῥοῦφος τοὺς Σμυρναίους ἐλογίστευε πικρῶς καὶ δυστρόπως, *Consularis, cui Rufo nomen asperè, inclementerque à Smyrnæis rationes expoposcit.* Eademque ratione accipiendum esse Philostratum suspicor nonnullis alijs in locis, in quibus ὕπατοι non Consules, aut alij quipiam magistratus municipales esse videntur, vt voluit Casaubonus, sed Consulares, aut Præsides Prouinciarum, notione ea, qua metaphoricè Consules tantùm antiquioribus temporibus ὕπατοι dicti ob excellentiam dignitatis, ad Consulares translata, quorum in Prouincijs supremum imperium erat: quo sensu ὕπατον, etiam de magistratu municipali accipias per me licet, dummodo illinc Consulem municipalem non facias. ὕπατον verò à Græcis propriè dici quod in vnaquaque re summum ac sublime sit, notum est; atque hinc euenisse arbitror, vt Proconsules tanquam magistratus amplissimus, ὕπατοι etiam ab ipsis appellarentur; quemadmodum in Græco Epigrammate Maximus, Ἀσίης ὕπατος, qui sanè non alius, quàm Proconsul fuit, vt Africæ Lollianus Auitus, quem in ea Prouincia *Consulatus mu-*

In Not. ad Apuleij Apolog. 2.

Anthol. 3.

Apolog. 2. *nere* functũ ſcribit Apuleius. Nõ enim temerè Maximum Aſiæ Conſulem ex eo epigrammate finxerim, qualem Achaiæ Agorium Prętextatum fecit Berterius ex veteri lapide, in quo, VETTIO AGORIO PRAETEXTATO V. C. CONS. DESIGNATO ACHAIAE PRAEF. VRB. vbi ego, ſi quid hac de re ſtatuendum ſit, CONSVLARI potius legerim; niſi hìc COS. pro PROCOS. quadratarij errato, aut eius, qui inſcriptionem deſcripſit; in alio enim antiquo marmore is idem Agorius Prætextatus, PROCONSVL ACHAIAE nominatur: neque multum negotij faceſſit quod ſequitur, DESIGNATO. Nam & olim ſtante Republica præter Conſulatum, alios quoque magiſtratus deſignari ſolitos fuiſſe conſtat, idque ſub Cæſaribus etiam vſitatum, argumento eſt locus hic Capitolini in M. Antonino: *Octauo decimo ergo ætatis anno adoptatus, in ſecundo Conſulatu Antonini iam patris ſui, Adriano ferente, gratia ætatis facta Quæſtor eſt deſignatus*; & in veteri lapide ex Theſ. Gruteri, Seuerus PROCOS. DESIGN. legitur. Quoniam verò in explicanda vocabuli huius ὑπάτου notione apud Philoſtratum verſamur, illud eruditis proponere non verebor, num ὕπατοι interdum huic Scriptori ſint, Summates, Magnates, ac quos dixeris, primores, principes ciuitatis, aut gentis alicu-

Diatriba I. *Cap. VIII.*

Apud Grut. pag. MCII.

alicuius. Ita ſanè accipiendus ille videtur in Herode, de quo: γράφεται αὐτὸν φόνου Βραδέας, ſeu, quod Romanæ nomenclaturæ congruit magis, Βραδύας, ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφὸς, εὐδοκιμώτατος ὢν ἐν ὑπάτοις, καὶ τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι. Braduam hunc Regillæ fratrem inſigni nobilitate fuiſſe narrat Philoſtratus, quamobrem nil veriſimilius, quàm dicere eum voluiſſe, illum inter Proceres Romanos ſummo loco extitiſſe, ac patricia familia ortum: huc enim ſpectat, quod ait, ſignum nobilitatis in calceis gerere, hoc eſt lunatam fibulam, qua Numæ inſtituto, Patricij à plebe diſtinguebantur. Dubitari etiam poſſit, num in eundem ſenſum accipienda ſint, quæ de Herode habet in Polemone: ἤρα μὲν γὰρ τοῦ αὐτοσχεδιάζειν μᾶλλον ὁ Ἡρώδης, ἢ τοῦ ὕπατός τε, καὶ ἐξ ὑπάτων δοκεῖν. Cùm, ſi ὑπάτους eadem vtrobique, vt par, eſt notione Conſules intelligas, qui commodior alioquin videtur eſſe loci huius intellectus, haud omnino in promptu ſit explicare qui ſint Conſules iſti, ad quos genus ſuum referat Herodes. Quamobrem ſi, vt ex antea citato Philoſtrati loco notauimus, non ignotus eidem Scriptori eſt vſus vocabuli ὑπάτων, pro ſummatibus, aut proceribus; non abſurda prorſus fortaſſe erit in eum, quem dicebamus ſenſum loci huius interpretatio, vt ſit:

lit: *Extemporanea dicendi facultate ſibi magis placebat Herodes, quàm quòd & vir princeps, & à principibus genus ducere exiſtimaretur*. Nam nobili in primis, ac vetuſta ſtirpe ortus Herodes, qui, teſte Philoſtrato eodem, genus ſuum ad Aeacidas referret, ac Cimonem, & Miltiadem proauos agnoſceret. Id verò non ſatis capio, quid ſibi velint illa eiuſdem vitæ initio: ὁ σοφιστὴς Ἡρώδης ἐτέλει μὲν ἐκ πατέρων ἐς τοὺς δισυπάτους: haud enim ſatisfacit Caſaubonus, qui in notis ad Apuleium iam ſupra citatis, hunc Philoſtrati locum inter eos profert, quos adducit ad ſententiam ſuam, quam retulimus adſtruendam de Magiſtratibus municipalibus, quos vult Conſules aliquando appellatos. Δισυπάτων certè vox, ſiue ea hìc magiſtratum ſignificet, ſiue honoris genus aliud quidpiam, de quo in præſentia non laboro, vt de re iure hereditario ad Herodem delata vſurpari videtur: quamobrem non video cur de Conſulibus hoc loco ſit accipiendus Philoſtratus, & ſi vocabulum ipſum propriè interpretari oporteat, δισυπάτους, *iterum Conſules* intelligas, quo ſenſu hanc vocem vſurpat etiam Epictetus apud Arrianum. Illud interim obſeruo, δισύπατον cognominis loco nonnunquam vſurpari apud recentiores Græcos. Ioannis ſiquidem τοῦ δισυπάτου, ab Imperatore ad Concilium Baſileenſe legati meminit Sy-

ropulus in historia Concilij Florentini; & Manuelis τῦ Δυσπάτου (legendum, ni fallor, Διουπάτου) Archiepiscopi Thessalonicensis, mentio apud Pachimerem, quem nuper edidit vir doctissimus, ac de re literaria præclarè meritus Petrus Possinus è Societate Iesu. Ὑπάτους etiam pro Summatibus, seu Proceribus vsurpasse censuerim Agathiam, quo loco Tralles terræ motu euersas narrans, Augustum, ait, ὑπάτους ἑπτὰ τῶν ἐν τοῖς μάλιστα εὐπατριδῶν τε, καὶ εὐδαιμόνων ἀνδρῶν ἐκ τῆς Ῥώμης ἀπολεξάμενον, ἅμα τῷ σφετέρῳ πλήθει στεῖλαι ἐς τὴν ἀποικίαν. Ὕπατοι hìc non alij meo iudicio quàm primores, seu proceres Vrbis Romæ, è quorum numero aliquis nobilitate, atque opibus in primis clarus, deducendis Colonijs, vt plurimum, præficiebatur, quos ὑπάτους appellare potuit Agathias non eadem notione id vocabuli vsurpans, qua Augusti æuo, vt iam loco supra memorato obseruauit Casaubonus idem, sed ea, qua ipsius ætate interdum accipi consueuerat: neque erit cur ὑπατικοὺς hìc legatur pro ὑπάτους, vt eidem placuit, si vera est coniectura nostra, quam quidem æstimandam doctiorum iudicio, arbitrioque libenter relinquimus. Cæterùm non est quòd quispiam miretur Rufum hunc nostrum Consularium genere ortum Athletam fuisse, si meminerit Aeneadas ipsos rerum dominos scenicam,

Lib. II Cap. I.

Lib. I. Hist. Cap. XI.

Lib. II.

cam,

cam, & gladiatoriam fecisse, idque Augusto imperante, à quo vix Senatores edictis ab arena exclusi; sub Nerone verò, autore Suetonio, quadringentos Senatores, sexcentos Equites Romanos, seu, quæ verisimilior est Lipsij lectio, quadragenos, & sexagenos ad pugnam inter gladiatores exhibitos, neque, vt credere est, inuitos; cùm, Suetonio ipso teste, Tiberius ingentem Equitum Romanorum numerum exilio affecerit, qui, quominus in opera scenæ, arenæque edenda S. C. tenerentur, famosi iudicij notam spontè subibant. Athletarum autem conditio infamia omni caruit, si Vlpiano fides, à cuius ætate non multum abfuit Rufus hic Athleta, quantùm ex Inscriptionis nostræ scriptura licet conijcere. Vlpiani testimonium extat l. 4. ff. de ijs, qui not. inf. his verbis. *Athletas autem Sabinus, & Cassius responderunt omnino artem ludicram non facere, virtutis enim gratia hoc eos facere, & generaliter ita omnes opinantur, & vtile videtur, vt neque Thymelici, neque Xystici, nec agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deseruiunt, ignominiosi habeantur.*

Saturn. Serm. lib. 2. Cap. 3.

In Tiberio.

M. Aur A-

I V.

. . . .

Μ. Αυρ ΑσκΛΗΠΙΑΔΗΝ ΑΛΕξανδρεα Ερμοπολειτην
παγκρατιαςΤΗΝ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗν αλειπτον ασυνεξωςον
ανεκκλητΟΝ ΝΕωΚΟΡΟΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑλου
σαραπιδΟC ΚΑΙ ΤωΝ ΕΝ Τω ΜΟΥCΕΙω
σιτουΜΕΝωΝ ΑΤΕΛωΝ ΦΙΛΟCΟΦωΝ
αρχιερεΑ ΤΟΥ CΥΜΠΑΝΤΟC ΞΥCΤΟΥ
διαβΙΟΥ ΞΥCΤΑΡ ΚΑΙ ΕΠΙ βαλανειων του σεβαςου

. . . .

(M. Aurelio) Asclepiadi, (Alexandrino, Hermopolitæ, Pancratiastæ) Periodonicæ, (inuicto, quem nemo de statu detrudere poterat, non prouocato) Neocoro Magni Sarapidis, & qui in Museo (aluntur) immunium Philosophorum (Pontifici) totius Xysti perpetuo, Xystarchæ, & (Balneis Aug. Præfecto) . . . .

Insigni huic marmori non eandem, atque alijs eodem loco repertis sortem fuisse magnopere dolendum, quod quidem & mutilum è terra effossum, prætereáque à fossoribus in varia statim frusta diuisum est. Quòd si illud integrum haberemus, non esset sanè cur, quæ in eo incisa est inscriptio, vlli aliarum Athleticarum inscriptionum posthabēda esset. Eam, quanta quanta est totā V. Cl. Ezechieli Spanhemio acceptam referre debent eruditi, qui

præclarum hoc antiquitatis monumentum, ad inſtar Virgiliani illius Deiphobi

Laniatum corpore toto

fatis vtique inuitis in lucem aſſeruit, atque eius fragmētis diligenter compoſitis, inſcriptionis quæ ſupererant deſcripſit, eiuſque mihi copiam fecit. Illam nos, quantùm fieri potuit, ſuppleuimus ope ſequentis inſcriptionis, quæ extat apud Gruterum, cùm ad ipſum M. Aurelium Aſclepiadem, cuius in ea ſit mentio, noſtram quoque pertinere omnia planè clament.

P. CCCXIII. 10.

.... ΜΗΤΡΙΟΝ. ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗΝ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΑCΤΗΝ. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ
ΠΑΛΑΙCΤΗΝ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ. ΑΛΕΙΠΤΟΝ
ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ. ΤΟΥ CΥΝΠΑΝΤΟC. ΞΥCΤΟΥ
ΔΙΑΒΙΟΥ. ΞΥCΤΑΡΧΗΝ. ΚΑΙ. ΕΠΙΒΑΛΑΝΙ
ωΝ. CΕΒ. ΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ.
Μ. ΑΥΡ. ΑCΚΛΗΠΙΑΔΗC. Ο. ΚΑΙ. ΕΡΜΟΔωΡΟC
ΝΕωΚΟΡΟC. ΤΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. CΑΡΑΠΙΔΟC
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥC. ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗC. ΠΑΝΚΡΑ
ΤΙΑCΤΗC. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗC. ΑΛΕΙΠΤΟC
ΑCΙΝΕΞΟCΤΟC. ΑΝΕΚΚΛΗΤΟC ΞΥCΤΑΡ
ΧΗC. ΔΙΑΒΙΟΥ. Ο ΥΙΟC
Ο ΑΡΧΙΕΡΕΥC ΤΟΥ CΥΝΠΑΝΤΟC ΞΥCΤΟΥ ΔΙΑΒΙΟΥ
ΞΥCΤΑΡΧΗC ΚΑΙ ΕΠΙΒΑΛΑΝΕΙωΝ ΤΟΥ CΕΒΑCΤΟΥ.

Eam ſic latinè interpretatus eſt Mercuria-

lis

lis de Arte Gymnaſtica. *Lib. I. cap. XII.*

Demetrium Hermopolitam Alexandrinum Pancratiaſtem, Periodi victorem, Palæſtritam, admirabilem, * *Aliptam, Pontificem totius Xyſti perpetuum, Xyſtarcham, Balneis Auguſti Præfectum patrem.* * *Inuictum.*

M. Aurelius Aſclepiades, qui & Hermodorus, Alexandrinus, Hermopolita, Magni Sarapidis Aedituus, Pancratiaſtes, Periodi victor, quem nemo detrudere poterat, inculpatus, Xyſtarcha perpetuus, Filius.

Pontifex totius Xyſti perpetuus Xyſtarcha, & Balneis Auguſti Præfectus.

Hoc quoque monimentum extitiſſe olim in Xyſto, ſeu Gymnaſio Athletarum Herculaneorum vehemens indicium eſt, fuiſſe illud repertum eodem loco, quo marmora alia Athletica, quæ illuſtramus; ac ſi quid noſtri iudicij eſt, illa inſcriptionis initio fortaſſe deſiderantur; vnde initium tribus alijs, quas dedimus, hoc eſt, Η ΙΕΡΑ ΞΥCΤΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟC ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟ ΚΑΤΑΛΥCΕωC ΕΝ ΤΗ ΒΑCΙΛΙΔΙ ΡωΜΗ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤωΝ, aut eadem paucis mutatis. Nos ne quid temerè egiſſe videremur, quòd in alijs duobus inſcriptionibus ex Theſ. Grut. ad Aurelium hunc Aſclepiadem pertinentibus, nulla Athletarum Herculaneorum mentio eſt, ab indulgendo coniecturæ noſtræ ab-

ſtinuimus, vt de ea ſtatuere integrum lectori ſit.

M. ΑΥΡ. ΑCΚΛΗΠΙΑΔΗΝ. M. ille Aurelius Aſclepiades hic eſt, cuius elogium habetur in celebri illo, ac quantiuis pretij marmore Farneſiano, cuius inſcriptio primùm à Lipſio edita, inter alias deinde Theſauri Gruteriani relata eſt. Ex eius inſcriptionis contextu, qualis, quantuſque Athleta fuerit Aurelius hic Aſclepiades ſatis conſtat; vt, ſi parua licet componere magnis, quod de Cn. Pompeio vſurpauit Cicero in Orat. Pro Milone, de eo dici haud ab re poſſit, plures ipſum inter Athletas victorias reportaſſe, quàm alij certamina obierint. Eius titulos, atque honores licet prolixius aliquanto enarratos, ex illuſtri hoc marmore cognoſcere ne graueris erudite lector. Erit ſanè cur te ſuſcepti laboris non pœniteat, ſi antiquitatis Athleticæ ſtudio teneris. Namque audacter ſpondeo, vix te alibi vſquam, plura ad eam illuſtrandam repertu-rum, quàm in ſola hac inſcriptione, quam eò libentius integram hìc adſcribimus, quòd eam maiori qua potuimus diligentia ad exemplar Farneſiani marmoris collatam, non vno in loco integriorem, ac correctiorem exhibuimus, quàm eſt in vulgatis, vbi alia parum fideliter deſcripta, corrupta alia, nonnulla etiam eius negligentia, qui illã exſcripſit omiſſa ſunt.

M. ΑΥ-

Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕωϹ. ΤΟΥ ϹΥΝ-ΠΑΝΤΟϹ

ΞΥϹΤΟΥ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΞΥϹΤΑΡΧΟΥ ΚΑΙ. ΕΠΙ. ΒΑΛΑ-ΝΕΙωΝ. ΤΟΥ ϹΕΒΑϹΤ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕωϹ. ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΟΥ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΑ-ϹΤΟΥ. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚ

ΠΑΛΑΙϹΤΟΥ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ. ΥΙΟϹ. ΜΑΡΚΟϹ. ΑΥΡΗ-ΛΙΟϹ

ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΗϹ, Ο ΚΑΙ ΕΡΜΟΔωΡΟϹ. Ο ΠΡΕϹΒΥΤΑ-ΤΟϹ. ΤωΝ ΝΕω

ΚΟΡωΝ. ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ. ϹΑΡΑΠΙΔΟϹ. Ο ΑΡΧΙΕΡΕΥϹ ΤΟΥ ϹΥΝΠΑΝΤΟϹ

ΞΥϹΤΟΥ. ΔΙΑ ΒΙΟΥ. ΞΥϹΤΑΡΧΗϹ. ΚΑΙ. ΕΠΙ. ΒΑΛΑ-ΝΕΙωΝ. ΤΟΥ ϹΕΒΑϹΤΟΥ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥϹ. ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗϹ. ΠΟΤΙΟΛΑΝΟϹ. ΝΕΑΠΟΛΕΙΤΗϹ. ΚΑΙ

ΗΛΕΙΟϹ. ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΟϹ. ΒΟΥΛΕΥΤΗϹ. ΚΑΙ. ΑΛΛωΝ ΠΟΛΕωΝ ΠΟΛΛωΝ

ΠΟΛΕΙΤΗϹ. ΚΑΙ ΒΟΥΛΕΥΤΗϹ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΑϹΤΗϹ. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗϹ. ΑΛΕΙΠΤΟϹ

ΑϹΙΝΕΞωϹΤΟϹ. ΑΝΕΚΚΛΗΤΟϹ. ΟϹΟΥϹ ΠΟΤΕ ΑΓω-ΝΑϹ. ΑΠΕΓΡΑΨΑΜΗΝ

ΠΑΝΤΑϹ ΝΕΙΚΗϹΑϹ ΜΗΤΕ ΕΚΚΑΛΕϹΑΜΕΝΟϹ. ΜΗ-ΤΕ ΕΤΕΡΟΥ. ΚΑΤΕΜΟΥ ΤΟΛΜΗ

ϹΑΝΤΟϹ ΕΚΚΑΛΕϹΑϹΘΑΙ. ΜΗΤΕ ϹΥϹΤΕΦΑΝωΘΕΙϹ. ΜΗΤΕ ΕΠΕΞΕΛΘωΝ. ΜΗΤΕ ΠΑΡΑΙ

ΤΗϹΑΜΕΝΟϹ. ΜΗΤΕ ΑΓωΝΑ ΠΑΡΑΛΙΠωΝ. ΜΗΤΕ ΚΑ-ΤΑ ΧΑΡΙΝ ΒΑϹΙΛΙΚΗΝ ΑΓωΝΑ

ΕΧωΝ.

ΕΧωΝ. ΜΗΔΕ ΚΑΙΝΟΝ ΑΓωΝΑ. ΝΕΙΚΗCΑC. ΑΛΛΑ
ΠΑΝΤΑCΟΥC ΠΟΤΕ ΑΠΕΓΡΑ
ΨΑΜΗΝ ΕΝ ΑΥΤΟΙC ΤΟΙC CΚΑΜΜΑCΙΝ CΤΕΦΑΝω-
ΘΕΙC. ΚΑΙ ΤΑΙC ΠΡΟΠΕΙΡΑΙC
ΤΟΥΤωΝ ΠΑCΑΙC ΔΟΚΙΜΑCΘΕΙC. ΑΓωΝΙCΑΜΕΝΟC
ΕΝ ΕΘΝΕCΙΝ ΤΡΙCΙΝ. ΙΤΑΛΙΑ
ΕΛΛΑΔΙ. ΑCΙΑ. ΝΕΙΚΗCΑC ΑΓωΝΑC ΤΟΥC. ΥΠΟΓΕ-
ΓΡΑΜΜΕΝΟΥC. ΠΑΝΤΑC ΠΑΝΚΡΑ
ΤΙΟΥ ΟΛΥΜΠΙΑ. ΤΑ ΕΝ ΠΕΙCΗ CΜ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ.
ΠΥЭΙΑ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙC. ΙCΘΜΙΑ. ΔΙC
ΝΕΜΕΑ ΔΙC. ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ CΤΗCΑC ΤΟΥC ΑΝΤΑ-
ΓωΝΙCΤΑC. ΚΑΙ ΤΗΝ ΑCΠΙΔΑ ΗΡΑCΕΜ
ΜΙ. ΚΑΠΕΤωΛΙΑ. ΕΝ ΡωΜΗ. ΔΙC ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΜΕ-
ΤΑΠΡωΤΟΝ ΚΛΗΡΟΝ CΤΗCΑC
ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙCΤΑC. ΕΥCΕΒΕΙΑ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙC.
ΔΙC. ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΜΕΤΑ ΔΕΥΤΕΡΟΝ
ΚΛΗΡΟΝ CΤΗCΑC ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙCΤΑC. CΕΒΑ-
CΤΑ ΕΝ ΝΕΑΠΟΛΙ. ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΜΕΤΑ
ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΚΛΗΡΟΝ CΤΗCΑC ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙC-
ΤΑC. ΑΚΤΙΑ ΕΝ ΝΕΙΚΟΠΟΛΙ ΔΙC ΤΟ ΔΕΥ
ΤΕΡΟΝ CΤΗCΑC ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙCΤΑC. ΑΘΗΝΑC
Ε. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ ΟΛΥΜΠΕΙΑ ΠΑΝΕΛ
ΛΗΝΙΑ ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΔΙC. ΖΜΥΡΝΑΝ. Ε. ΚΟΙΝΑ. ΑCΙΑC
ΔΙC. ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ CΤΗCΑC
ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙCΤΑC. ΟΜΟΙωC ΕΝ ΖΜΥΡΝΗ ΟΛΥΜ-
ΠΙΑ. ΚΑΙ ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ
ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥCΤΕΙΑ. ΤΡΙC ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΕΞ
ΑΡΧΗC CΤΗCΑC ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙCΤ

A latere.

ΤΟ ΤΡΙΤΟΝ ΜΕΤΑΠΡωΤΟΝ ΚΛΗΡΟΝ CΤΗCΑC.ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙCΤΑC. ΕΦΕCΟΝ ΤΡΙC. ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜ ΠΙΑ ΒΑΡΒΙΛΛΗΑ ΜΕΤΑ ΠΡωΤΟΝ ΚΛΗΡΟΝ CΤΗCΑC ΤΟΥC ΑΝΤΑΓωΝΙCΤΑC. ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑCΚΛΗΠΕΙΑ ΡΟΔΩΝ

ΑΛΕΙΑ ΧΡΥCΑΝΘΙΝΑ ΕΝ CΑΡΔΕCΙΝ. ΚΑΙ ΘΕΜΑΤΕΙ ΤΑC ΠΛΕΙΟΝΑC. ΕΝ ΟΙC. ΕΥΡΥΚΛΕΙΑ ΕΝ ΛΑΚΕΔΑΙ-ΜΟΝΙ.

ΚΑΙ ΜΑΝΤΙΝΙΑΝ ΚΑΙ ΑΛΛΟΥC ΑΘΛΗCΑC. ΤΑΠΑΝ-ΤΑ ΕΤΗ

ΕΞ. ΠΑΥCΑΜΕΝΟC ΤΗC ΑΘΛΗCΕωC ΕΤωΝ ωΝ ΚΕ ΔΙΑ ΤΟΥC CΥΝΒΑΝΤΑC ΜΟΙ ΚΥΝΔΙΝΟΥC.ΚΑΙ ΦΘΟ ΝΟΥC ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΤΟ ΠΑΥCΑCΘΑΙ ΜΕΤΑ ΠΛΕΙΟΝΑ ΧΡΟΝΟΝ

ΑΝΑΝΚΑCΘΕΙC ΕΝ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ ΚΑΙ ΝΙΚΗCΑC ΟΛΥΜΠΙΑ ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ

ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ ΕΚΤΗ

Huius hæc latina interpretatio eſt apud Gruterum.

M. Aurelij Demetrij vniuerſi Xyſti Pontificis perpetui, Xyſtarchæ, & Balneorum Aug. Præf. Alexandrini, Hermopolitæ, Pancratiaſtæ, Periodonicæ, Pugilis, Paradoxi filius; Marcus Aurelius Aſclepiades, qui & Hermodorus, ſenior omnium inter Aedituos magni Sarapidis, Pontifex vniuerſi X-yſti perpetuus, Xyſtarcha, & Balneo-

rum Aug. Præf. Alexandrinus, Hermopolites, Puteolanus, Neapolitanus, & Eleius, & Atheniensis Senator, *aliarumque vrbium multarum ciuis, & Senator, Pancratiastes, Periodonices*, inuictus, quem nemo de statu detrudere poterat, *non prouocatus*, quotquot vnquam Agones descripsi omnibus victis, *nec prouocans, nec altero audente me prouocare, nec cum alijs coronatus, neque inuadens, neque detrectans, neque certamen deserens, neque ex gratia Imperatoris certamen habens, neque* noui certaminis victor, *sed in omnibus quotquot vnquam* descripsi, *in ipsis Scammatis coronatus, & præexercitamentis horum omnium exploratus, pugnans in tribus nationibus, Italia, Hellade, Asia, vincens certaminibus subscriptis omnibus, Pancratio, Olympia quæ in Pisa CCXL Olympiade, Pythia in Delphis, Isthmia bis, Nemea bis, secundò sistens aduersarios, & Clypeum auellens ...., Capitolinos Romæ bis, secundò post primam sortem sistens aduersarios, Eusebeia Puteolis bis, secundò post secundam sortitionem sistens aduersarios, Augustales Neapoli, secundò post secundam sortitionem sistens aduersarios, Actia Nicopoli bis, secundò sistens aduersarios*, Athenas V. *Panathenæa Olympeia Panellenia Adriania bis, Smyrnam V. Communia Asiæ bis, secundò sistens aduersarios: similiter Smyrnæ Olympia, & Adriania Olympia, Pergamum Augusteia ter, secundò à principio sistens aduersarios.*

Ala-

A latere.

Tertiùm post primam sortem sistens aduersarios, Ephesum ter, Adriania Olimpia Barbillea, *post primam sortem sistens aduersarios, Epidaurum Aesculapia*, Rhodum Halia, *Chrysanthina Sardibus, & themathеitas complures, in quibus Euricleia Lacedæmone, &* Mantinian, *multaque alia certamina certans in vniuersum annos sex, desistens à Palæstra annos habens XXV. propter accidentes mihi difficultates, & inuidias, & postquam desijssem post plurimum tempus coactus in patria Alexandria, & vincens Olympia Pancratio, Olympiade sexta.*

Meminit eiusdem Autor Catalogi Olympiadum, vbi ad Olympiadem CCXL. Μ. Αὐρήλιος Δημητρίου Ἀλεξανδρεὺς παγκράτιον. *M. Aurelius Demetrij Alexandrinus, Pancratio.*

ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Neocori quinam essent, ac quale eorum officium, iam vel leuiter eruditi sciunt post tam multa, quæ circa vocabuli huius explicationem scripserunt viri docti; ac nuperrimè Albertus Rubenius Diatriba de Vrbibus Neocoris, vt & de eo plura dicere nil aliud futurum sit, quàm actum planè agere. Illud silentio minimè prætereundum, Aurelium ipsum Asclepiadem, qui hìc νεωκόρος τοῦ μεγάλου Σαράπιδος, in inscriptione Farnesiana, πρεσβύτατον τῶν νεωκόρων, seniorem, seu, vt hodie vocant, Decanum Neocororum,

ſiue Aedituorum eiuſdem Dei appellari: vt inde inferre liceat, non vnos ſingulis Templis fuiſſe æditnos, eorum verò ſeniorem ſpeciali aliqua honoris appellatione ab alijs diſtingui ſolitum. Huc facit, quod innuit Iulius Firmicus, de multitudine Neocororum ſimulacrum Serapidis cuſtodientium, his verbis. *Hic in Aegypto colitur, hic adoratur, huius ſimulacrum Neocororum turba cuſtodit, & ad memoriam vetuſtatis errans populus, ordinem ſacrorum in honorem integerrimi, ac prudentiſſimi hominis conſtitutum, contentioſa hodie animoſitate cuſtodit.* Quod verò νεωκόρον (quem ἱερόδουλον, interpretatur Theophylactus ad celebrem illum locum Actorum cap. XIX.) *Neocorum* vertendo retinuimus, non Firmici modò, quem citauimus autoritate fecimus, ſed etiam antiquæ inſcriptionis, in qua Vettius Agorius Prætextatus, NEOCORVS legitur.

De Errore Prof. Relig.

In Theſ. Grut. pag. MCII. 2.

ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΙΔΟC. σαράπιδος æquè, ac σεράπιδος ſcriptum in veteribus Nummis, ac lapidibus reperio. ΜΕΓΑΛΟΥ item CΑΡΑΠΙΔΟC mentio in inſcriptione Farneſiana, & in Romana, quam ſupra attulimus, vbi Η ΙΕΡΑ ΤΑΞΙC ΤωΝ ΠΑΙΑΝΙCΤωΝ ΤωΝ ΕΝ ΡωΜΗ ΔΙΟC ΗΛΙΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΙΔΟC ΚΑΙ ΘΕωΝ CΕΒΑCΤωΝ.

Magni quoque titulus Serapidi tribuitur in duabus ſequentibus apud Gruterum.

Pag. LXXXV. 3. 4.

VOTO

1.

VOTO. SVSCEPTO. PRO. SALVTE
IMP. CAESARIS. M. AVRELI
ANTONINI. AVG. PII. FELICIS
SEX. POMPEIVS. PRIMITIVVS. CVM
M. VIRRIO. STRVTTO. FIL
COLVMNAS. CVM. EPISTILIO
DEO. MAGNO. SERAPI
IN. INTROITVM. EXORNAVERVNT

2.

PRO. SALVTE. IMP. CAES.
M. AVR. ANTONINI. AVG.
PII. FEL. P. P.
VOTO. SVSCEPTO
DEI. MAGNI. SERAPIDIS
TEMPLVM. COLVMNIS
. . . .
ORNARI
SEX. POMPEIVS. PRIMITIVVS
M. VIBIVS. SATVRNINVS
S. P. C.

Huius profectò Templi ædituum fuisse Aurelium hunc Asclepiadem crediderim. Aliter fortasse alijs videatur, quòd nempe cùm Alexandrinus fuerit Asclepiades, accipienda potius hæc sint de celeberrimo illo Serapidis Templo Alexādrino, de quo loquitur

Eunapius in Aedeſio: ἡ δὲ Ἀλεξάνδρεια διά τε τοῦ Σεράπιδος ἱερὸν, ἱερά τις ἦν οἰκουμένη, *Alexandria verò ob Serapidis Templum erat veluti ſacer Orbis terrarum*. Cæterùm non vnum fuit in Vrbe Templum Serapidi dicatum, nam præter illud, quod Iſidis, & Serapidis vocabatur, ab Auguſto proſcriptionis tempore extructum, vt autor eſt Dio, à quo III. Regionem Iſidis, & Serapidis denominatam veriſimile eſt, Iſium & Serapium in Regione VI. *Altæ ſemitæ* reperire eſt apud Victorem Panuinij, de quo fortaſſe Lampridius: *Iſium, & Serapium diligenter ornauit, additis ſignis, & delicijs, & omnibus myſticis*. Fanum quoque Serapidis ex Rufo, & Victore in Regione prima. Celeberrimum verò Dei huius Templum olim extitiſſe vbi nunc Aedes Diuo Stephano ſacra (vulgò *S Stefano del Cacco*) probabiliter ſuſpicatur Famianus Nardinius in ſuis de veteri Roma Commentarijs, atque eius etiam ruderibus creuiſſe tumulum illum arbitratur, qui eò loci aſſurgit. Neque ab hac ſententia adeò diſcrepare videtur Athanaſius Kirkerius in libro nuper edito de Interpretatione Obeliſci ante biennium in Cœnobio Patrum Dominicanorum effoſſi, vt quantùm ad Serapidis Templum pertinet cùm Nardinio conciliari facilè non poſſit.

Lib. 47.

In Alexand.

Lib. 6. cap. 9

EN Tω MOYCEIω. Pulchrè hìc Muſei,

Alexandrini nempè, mentio, quæ non alibi in veteribus lapidibus, quod sciam. De eo hæc apud Strabonem. Τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον, ἔχον περίπατον, καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν Βασιλέων, νῦν δὲ ὑπὸ Καίσαρος. *Pars etiam Regiarum est Museum, quod ambulationem habet, & Exedram, & magnam domum, in qua cœnaculum est eorum, qui Musei consortes sunt, ac literis humanioribus studium impendunt. Hoc Collegium publicè pecunias habet, & Sacerdotem, qui Museo præest, olim à Regibus, nunc à Cæsare constitutum.* Ex hoc vno Strabonis loco quid fuerit Museum Alexandrinum, quodque hominum genus in eo aleretur Aegyptiorum Regum munificentia, satis constat. Id verò obseruatione dignum, pertinuisse olim ad Aegypti Reges, mox ad Cæsares, ad quos Aegyptiorum Regum iura delata fuerãt, Sacerdotẽ, qui Museo præesset constituere, in quo vestigium aliquod iurispatronatus nostrorum temporum agnoscere est. Ad Cæsares etiam spectasse Philologos deligere, qui Museo adscriberentur, arguunt illa Philostrati: Ἀδριανὸς γὰρ σατράπην μὲν αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ἀφανῶν ἐθνῶν, κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ σιτουμένοις, καὶ τοῖς

Lib. 17.

In Dionys.

ἐν τῷ

ἐν τῷ Μουσείῳ σιτουμένοις. τὸ δὲ Μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους. *Hadrianus eum non humilium gentium Satrapam designauit. Item inter viros* * *equo publico donatos censeri voluit, & eos, qui in Museo alebantur. Museum autem Aegyptia mensa erat, quæ ex omni terrarum Orbe eloquentissimos quosque viros conuocabat.* Idem de Polemone: κατέλεξεν δὲ αὐτὸν, καὶ τῷ τοῦ Μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν. *Eum quoque Hadrianus in Museo ad Aegyptiam mensam adlegit*, non *ad tesseram frumenti Aegyptiacam*, vt Morellus vertit. Σίτησις quippè propriè victus quotidianus, τροφαὶ, δαπάναι Suidæ, hincque est, quod non aliud fermè vocabulum vsurpatur ab elegantissimis Græcorum Scriptoribus, vbi sermo de victu, quod publicè præbebatur in Prytaneo; quod non alio, vt opinor, à Museo differebat, quàm quòd ibi boni ciues, ac de Republica præclarè meriti, in Museo verò, viri docti, ac literati publicè alerentur. Quod sanè liberalitatis genus, & laudabile semper fuit, & tùm magnis Regibus, tùm optimè constituta Republica in primis dignum. Μουσείου τοῦ ἐν Ἑλικῶνι mentio apud Athenęum, qui Amphionem Thespiensem de eo libros aliquot scripsisse tradit, quod quidem Museum pueris alendis, qui ad saltationem, & musicam instituerentur fuisse constitu-

* Viros equestris ordinis *haud rectè vertit Morellius.*

Lib. 14.

stitu-

ſtitutum conijcitur ex eo ipſo Amphionis loco, quem citat Athenæus. Sed vt ad Alexandrinum noſtrum reuertamur, fuiſſe in eo Aedem, aut Templum in quo Philologi rei ſacræ operam darent, tùm illa manifeſtò euincunt, quæ de Sacerdote, qui Muſeo ab Aegyptijs Regibus, aut à Cæſaribus præficiebatur, paulò ante ex Strabone audiuimus; tùm id non parum ſuadet, quod in hoc marmore Aurelius Aſclepiades νεωκόρος, non ſolùm magni Serapidis; ſed etiam τῶν ἐν τῷ Μουσείῳ σιτουμένων ἀτελῶν φιλοσόφων appellatur. De Muſeo Alexandrino Spartianus hæc narrat; *Apud Alexandriam in Muſio multas quæſtiones profeſſoribus propoſuit (Hadrianus) & propoſitas ipſe diſſoluit.* Muſeo veteri Alexandrino alterum à ſe appellatum addidit Claudius ea de cauſſa, quam prodit inſignis Suetonij locus in Claudio. *Denique & Græcas ſcripſit Hiſtorias* Τυῤῥηνικῶν XX. Καρχηδονιακῶν VIII. *Quarum cauſſa veteri Alexandriæ Muſeo alterum additum ex ipſius nomine: inſtitutumque, vt quotannis in altero* Τυῤῥηνικῶν *libri, altero* Καρχηδονιακῶν *diebus ſtatutis, veluti in auditorio, recitarentur toti à ſingulis per vices.* Muſei huius Claudiani meminit Athenæus, apud quem philoſophos illos σιτοσίτους, paraſitos audire obſeruo. Eius verba ſunt. Ἀντίδοτος δ' ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πρωτοχόρῳ παράγει τινὰ παρα-

In Hadriano.

Cap. 42.

Lib. VI.

πλή-

πλήσιον τοῖς ἐν τῷ Κλαυδίῳ νῦν σοφιστεύουσιν, ὧν οὐδὲ μεμνῆσθαι καλόν: *Antidotus in fabula, cui titulus est Protochorus, quendam parasitum inducit ijs similem, qui nunc in Museo Claudio Rhetoricam profitentur, vix digni quos memoremus.*

ΑΤΕΛΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ. Philosophi hìc non alij sunt, ni fallor, quàm Sophistæ, quorum nunquam maior prouentus, quàm Aurelij huius Asclepiadis ætate, quem circa Antoninorum tempora vixisse ex inscriptione Farnesiana constat. Horum præcipua sanè prerogatiua fuit ἀτέλεια, hoc est, immunitas à muneribus publicis, siue quæ Suidæ ἀλειτουργησία, vti etiam reponendum apud Hesychium pro ἀλειτούργητα, vt nunc legitur; hancque potissimum esse sortem Sophistarum, seu professorum, τὸ ζῆν ἐν ἀτελείᾳ, innuit Libanius. De Rhetorum immunitate extant in Codice Theodosiano insignes leges lib. VI. *de Professoribus, qui in Vrbe C. P.* lib. XI *de extraord. siue sordid.* & lib. XIII. *de Med. & Profess.* ad quas leges eruditè multa de hac re, dêque tempore concessæ primùm Rhetoribus, alijsque Professoribus immunitatis, quod ad Vespasianum refert, Gothofredus obseruauit. Verùm non vnum Sophistis immunitatis genus, vt colligere est ex Philostrato, quod ille non obscurè innuit, vbi in Hadriano prærogatiuas Sophistarum enumerat, δωρεὰς scilicet

In Ἀτέλεια.

Declam. 3. περὶ ἀτελῆς.

τὰς

τάς τε σιτήσεις, καὶ τὰς προεδρίας, καὶ τὰς ἀτελείας, καὶ τὸ ἱερᾶσθαι. Harum ego diuerſarum immunitatum genera aliquot proferam ex eodem Philoſtrato, quæ inter, conceſſa primùm occurrit Sophiſtarum nonnullis immunitas à portorijs,& publicis vectigalibus.Eius inſigne extat exemplum in Polemone, cui dediſſe Traianum narrat, ἀτελῆ πορεύεσθαι διὰ γῆς καὶ θαλάττης, *tranſitum terra, marique immunem*. Nonnunquam etiam immunitatem non vni tantùm Sophiſtæ,ſed eius quoque poſteris iure hereditario conceſſam apparet ex illis Hermocratis Sophiſtæ ad Seuerum: nam cùm Imperator petendorum munerum ei feciſset optionem, στεφάνους μὲν (inquit ille) καὶ ἀτελείας, καὶ σιτήσεις, καὶ πορφύραν, καὶ τὸ ἱερᾶσθαι ὁ πάππος ἡμῖν τοῖς ἀπ' αὐτοῦ παρέδωκε: *coronas, immunitates, victum è publico, prætextam, & Pontificatum, auus nobis ſuis poſteris reliquit.* Demum tributam θρόνοις τοῖς σοφιστικοῖς, *cathedris Sophiſtarum*, ijs ſcilicet, qui eas tenerent immunitatem,argumento ſunt verba illa Philiſci ad Imperatorem (Caracallam nempe): σύ μοι λειτουργιῶν ἀτέλειαν δέδωκας, δοὺς τὸν Ἀθήνησι θρόνον. *Tù mihi immunitatem à publicis muneribus conceſſiſti, cùm Athenienſem ſuggeſtum dediſti*. Ad quæ lepidè ſanè Imperator: οὔτε σὺ (inquit) ἀτελὴς, οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν παιδευόντων. οὐδὲ γὰρ ἄν ποτε διὰ μικρὰ καὶ δύστηνα

λογάρια τὰς πόλεις ἀφελοίμην τῶν λειτουργησάντων. *Neque tù immunis es, neque hæc ſtudia profitentium quiſquam alius: neutiquam enim propter breues, ac miſeras quaſdam oratiunculas, ciuitates ijs, qui publica munera exerceant, priuarim.* Athletarum verò etiam hoc priuilegium fuit, vt à muneribus publicis immunes eſsent, quod habetur l. vnica C. *de Athletis. Athletis ita demum ſi per omnem ætatem certaſſe, coronis quoque non minus tribus certaminis ſacri (in quibus vel ſemel Romæ, ſeu antiquæ Græciæ) meritò coronati, non æmulis corruptis, ac redemptis probentur, ciuilium munerum tribui ſolet vacatio.* A tutela verò etiam excuſabantur Athletæ fauore l. *Athletæ* ff. *de excuſ. tut, & temp. earum.* Neque tamen omnes, ſed ij tantum, qui ſacris certaminibus coronati eſſent.

V.

FILVMENVM

D D D. ET PRINCIPES. N. VALENTINIAN
VALENS. ET GRATIANVS. SEMP. AVGG
FILVMENVM OMNI ACLHETICO CER
TAMINE, AB ORIENTE AD OCCIDENTE. VSQ
VICTOREM.PAMMACHO.LVCTA.PRANCATI
CESTIBVSQ. ID EST.PYGME LOCATIONE STA
TVAE IN ACLETARVM CVRIA AETERNITA
TIS GLORIA DIGNVM ESSE IVDICARVNT.
QVOD OMNES XYSTICI GRATANTER
ACCEPERVNT. SEN. PARITER. SIMVLQ
P R. INGENTI FABORE PROSECVTVS EST

FILVMENVM. Filumenum hunc celebrem illum eſſe Athletam vix dubito, cuius elogium, quod ſequitur, ab Anonymo additum eſt Catalogo Olympiadum. Ἐγένετο δὲ καὶ ἐπὶ τῶν Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου καιρῶν ὁ ἐκ Φυλαδελφείας τῆς Λυδῶν παλαιστὴς Φιλούμενος ὄνομα· ὃν χαλκοῦν ἀνδριάντα λέγεται πατάξας εἰς βάθος, ἐνιζῆσαι βιάσασθαι τὸν χαλκόν, ἐφ' ᾧ ἀνδριάντος τετυχηκέναι, καὶ ἐπ' αὐτοῦ ἐπιγράμματος οὗ τὸ ἀκροτελεύτιον. *In Euſebiā. Scalig.*

χαλκὸς ἐμῆς χειρὸς πολλὸν ἐλαφρότερος.

Fuit Theodoſij magni temporibus Palæſtrita ex Philadelphia Lydorum oriundus, cui Filumeno nomen: hunc fama eſt ſtatua ænea altè percuſſa, æs coëgiſſe ut ſubſideret; ob eamque

rem statua donatum, atque Epigrammate, cuius extremus hic versus

Aera meâ longè sunt leuiora manu.

Notes autem velim, quod barbariem eorum temporum in primis prodit, Filumeni nomen in vertice basis, eodem casu, quo in contextu inscriptionis reperiri. Rectius sanè est, quod in alijs eiusdem æui, locorum nomina apposita; vt, POPVLONII in quatuor basibus ad L. Aradium Valerium Proculum pertinentibus, &, PHOSPHORII in altera Symmachi: ex qua etiam, eruere licet morem eius temporis haud sanè silentio prætereundum, virorum illustrium statuas, quæ ijs ob egregia in Rempublicam merita ab Imperatoribus decernebantur in vtraque imperij sede, hoc est Romæ, ac Constantinopoli poni solitas. Id certè disertè habetur in his, quibus desinit illa inscriptio. QVORVM (Imperatorum nempe) PERENNE. IVDICIVM. TANTO. MVNERI.HOC.QVOQVE. ADDIDIT. VT. ALTERAM.STATVAM. PARI. SPLENDORE. ETIAM APVD.CONSTANTINOPOLIM.COLLOCARET.

Apud Grut. pag. CCCLXI. & CCCLXIII.

Apud eumdem pag. CCCLXXIII. 3.

OMNI ACLHETICO CERTAMINE. ACLHETICO pro ATHLETICO quadratarij imperitia, quæ passim in hac inscriptione elucet. Cæterùm Filumenum hunc

& Pen-

& Pentathlum, & Periodonicam ambitioſo verborum circuitu deſignari manifeſtò vides, qui, victor OMNI ATHLETICO CERTAMINE, idque AB ORIENTE AD OCCIDENTEM VSQVE, appellatur. Imperitè verò inferius Pammachum à Pancratio (quod peruersè PRANCATIO ſcriptum) diſtinguitur, quæ vnam eamdemque rem fuiſſe iam adnotauimus.

CESTIBVSQ. IDEST PYGME. Pygmen latinè pro πυγμὴν, *pugilatum* vſurpat inſcriptionis autor; quemadmodum *Pycten* pro *Pugilem* Seneca, & Tertullianus. In eò verò quod ceſtus antonomaſticè pro pugilatu accipit, accuratè parum facit; ceſtus enim pugilatus genus quodpiam erant, non propriè pugilatus ipſe: Pugiles namque non ſemper ceſtibus, ſed ſæpius pugnis, aliquando ænea, aut marmorea pila pugnis concluſa certare conſueuerant, qua de re videndus diligentiſſimus rei Gymnaſticæ inueſtigator Mercurialis. *Lib. 2. c. 9.*

IN ATHLETARVM CVRIA. Quod Athletarum Curiæ in hac Inſcriptione mentio, id non parum confirmat, quod quidem locus ipſe ſuadere videbatur, Baſim quoque iſtam ad Xyſtum Athletarum Herculaneorum pertinuiſſe: nam ATHLETARVM CVRIA locum in Gymnaſio deſignat, vbi illi de rebus publicis, vt de probandis Athletis, de

præ-

præmijs tribuendis, de statuis, aut alijs honoribus decernendis, ac demum de totius Gymnasij administratione conuenirent, cuiusmodi loco Herculaneos nostros caruisse haud verisimile est, quos & Aedem sacris custodiendis, & Tabularium habuisse ex inscriptione Farnesiana constat. Id verò loci, in quo Collegia, aut corpora coirent, Curiæ etiam nomine appellatum docent monimenta Veterum. Et Curiæ quidem Saliorum Palatinorum meminit Cicero, quam in Palatio fuisse tradit lib. 1. de Diuinatione. Haud sola verò Sacerdotum Collegia Curiam habuisse ex sequenti inscriptione patet.

In Thes. Grut. pag. CCCCLXXI. 5.

T. TADIVS.
T. F. OVF.
CATIANVS
VI. VIR. VRB
Q. COLLEGI
CENTONARIORVM
ANNI. QVO. CVRIA
DEDICATA. EST
SIBI. ET. TADIIS
CASSIANO. ET
SECVNDO. FIL.
VI. VIR. VRB. ET
TERENTIAE. VALERIANAE
VXORI. L. D. D. C.
ET. IN. TVTEL. DED.
HS. X.

Quod

Quod enim in Indicem inſcriptionum *Curia Comenſis* ex hoc lapide relata eſt, eo fortaſſe quòd is in agro Comenſi repertus ſit, mihi ſanè non probatur: non video enim quid tam pertineat ad Quæſtorem Collegij Centonariorum quæſturam obtinuiſſe eo anno, quo Curia vrbis dedicata eſt, vt id, tanquam titulo res digna ſepulchri, eius monumento incidi debuiſſet. Quàm præclarius, ac peculiari quidèm mentione dignius Centonario, Quęſturam geſſiſſe quo anno Collegij Curia dedicata eſt! quod ſanè apud homines eius vniuerſitatis in primis memorabile. Nobis certè coniectura noſtra placet magis; iudicium penes alios eſto.

QVOD OMNES XYSTICI. Athletas à Xyſticis diſtinxiſſe videtur Faber in Semeſtribus: nam hos inter famoſos & notatos, de quibus ſermo l. 1. Cod. *de Dignitat.* agnoſcere videtur, è quorum numero Athletas eximit, quibus meritò coronatis tribui ciuilium munerum vacationem ex l. vnica Cod. *de Athletis* quam ſupra retulimus ipſe etiam obſeruat, qui cùm in Agoniſtico Athletas, ac Xyſticos eoſdem planè eſſe pluribus locis affirmet, ſupereſt vt credamus, Xyſticos ab ipſo, eo, quem citauimus loco, quod à vero alienum non omnino eſt, pro vilioribus miniſtris Xyſtorum accipi, qui & ipſi *Lib.1.cap.2*

Xyſti-

Xysticorum nomine aliquandō venirent. Xyſtici hìc certè Athletæ ipſi, vt paſſim apud Autores, & in veteri lapide, in quo.

Ex Theſ. Grut. pag. CCCXXXII. 6.

L. ATHENODORVS XYSTICVS
PARIDI THYMELICO BENE
MERENTI FECIT.

SENATVS PARITER SIMVLQ. P R. Suffragante, aut petente Senatu, vt hìc Filumeno huic Athletæ ſtatuæ olim priuatis, ab Imperatoribus decretæ. Id ſanè conſtat ex

L. X. Epiſt. 24.

Symmachi epiſtola, in qua ille nomine ſenatus, Agorio Prætextato honorem ſtatuæ ab Imperatoribus Theodoſio, & Arcadio petit his verbis. *Etiam Senatus impatiens diſpendij ſui, ſolatium petit de honore virtutis, veſtrumque numen precatur, vt virum noſtra ætate mirabilem, ſtatuarum diuturna vita tradat oculis poſterorum.* Ipſi quoque Symmacho, Senatu petente, ſtatua auro illuſtris decreta, cuius rei mentio in eius inſcriptione ſupra citata in qua, AVRO ILLVSTREM STATVAM QVAM A DOMINIS AVGVSTISQVE NOSTRIS SENATVS AMPLISSIMVS DECRETIS FREQVENTIBVS IMPETRAVIT IDEM TRIVMPHATORES PRINCIPES NOSTRI CONSTITVI APPOSITA ORATIONE IVSSERVNT.

Idem

Idem non raro fauore etiam populi fieri solitum teſtantur veteres inſcriptiones, in quibus ſæpius POSTVLANTE POPVLO ſtatuam alicui dedicatam fuiſſe legitur.

FABORE. Frequenter B. pro V. in lapidibus, in quibus IVBENTVTIS, PROBINCIA, BIXI, SERBVS, & alia huiuſmodi, vt & in Pandectis Florentinis, VBAS, CABILLATIO, NEGATIBA, &c. Neque verò recentioris tantùm æui promiſcuus harum literarum vſus, ſiquidem vtrumque ſcribendi morem vſurpatum video in antiqua inſcriptione Prænestina. *Extat Præneſt. in Palatio Principis.*

D. M.
AVRELIVS VITTALIO HANC
MEMORIAM. CVM. SOLARIO
ET. CVVICVLO. A. SOLO. FECIT
SIBI. ET AELIAE. SOFIADI. CONIVGI
SVAE. ET. FILIS. SVIS. ET. AVRELIO
MERCVRIO. FRATRI. SVO. CVM
FILIS. SVIS. ET AVRELIO. BERNE CVM
SVIS. ET. VLPIO. SECVNDINO. COGNATO. MEO
CVM. FILIS. SVIS. MEIS. FRATRIBVS
ET. LIBERTIS. PATERNIS. ET. LIBERTABSQVE
SET. ET. MEIS. POSTERISQVE OMNIVM
AEORVM. ET. QVIBVS. ME. VIVO. LOCA
DONAVI. IVVEO. ITVM. AMVITVM
VNIVERSOS. ABERE. ET. HOC. PETO
AECO. SYNCRATIVS. A BOBIS. VNIBERSIS
SODALIBVS. VT. SENE. BILE. REFRIGERETIS
SYNCRATIORVM

VI.

ΙωΑΝΗϹ ΠΑΛΑΙϹΤΗϹ ϹΜΥΡΝΑΙΟϹ
ΑΠΤωΤΟϹ.

OB FORTITVDINIS MERITA ET VIRTVTIS CV
MVLVM HOC QVOD EXCELLENS ARTIS RO
BVR EXEGIT PRAECEPTO INVICTISSIMORVM
PRINCIPVM D D D. N N N. F F F III. VALENTI
NIANI. THEODOSII ET ARCADII. IOHAN
NES. MERVIT VT INTER OMNIS POLLENS
LOCATIONE STATVAE VIDEATVR.

ΙωΑΝΗϹ ΠΑΛΑΙϹΤΗϹ ϹΜΥΡΝΑΙΟϹ. Non ſine cauſſa profectò eſt, quòd in hac baſi Ioannis huius Palæſtritæ Smyrnæi nomen Græcè ſcriptum; nam eo conſilio id factum, opinor, vt honos ſtatuæ Græco Athletæ ab Imperatoribus poſitæ Græcis hominibus latinæ linguæ ignaris facilius innoteſceret. Non aliàs verò inſolitum in Inſcriptionibus, huius præſertim æui, græca latinis permiſceri: immo & voces meras latinas græcis literis ſcriptas, reperire eſt in marmoribus, vt iam aduertit Rheineſius, quem talium curioſi adeãt. *Epiſt. 46.* Eodem, ni fallor, conſilio idem quoque factum obſeruo in duobus rariſſimis Laodicenorum Tetradrachmis, quæ extant inter Numiſmata ſelecta Cl. Seguini. *Cap. 3.* Horum inſcriptiones

tiones partim græcè, partim latinè ſunt. Sic enim habet altera. AP. PVLCHER. AP. F. PRO. COS. ΛΑΟ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ ΖΩΣΙΜΟΣ. Altera verò M. TVLL.. IMP. ΛΑΟ ΛΑΒΑΣ ΠΥΡΡΟΥ. In ijs quippe non alia de cauſſa Appij Pulchri, & M. Tullij nomina latinè ſcripta crediderim, quàm vt exquiſito obſequij genere eo potiſsimum ſermone inſcriptos à ſe nummos in honorem Romani Magiſtratus indicarent Laodiceni, quo magiſtratus ipſe vtebatur, quique ab ijs, qui lingua eadem loquebantur percipi poſſet. Confuſum quoque vtriuſque linguæ vsũ comperio in ſingulari Antinoi nummo, vt appellant *Contorniato*, cuius in anteriori parte Antinoi effigies pectore tenus, ſiniſtra baculum retortum humeris innixum tenentis cum inſcript. ΑΝΤΙΝΟΩ ΠΑΝΙ, in auerſa verò Victoria gradiens, circa quam, VICTORIA AVG. *Ex Muſeo Barber.*

ΑΠΤωΤΟC. Omnes præſtantiſſimi Palæſtritæ laudes concludit vnus hic titulus ἄπτωτος, qui eſt, Heſychio interprete, ὁ μὴ πίπτων, ἀλλ' ἑστὼς, Suidæ verò, ὁ ἄφοβος. Nam qui in Palæſtra valeat adeò, vt cadendi expers, ac veluti neſcius dici poſſit, hunc tu abſolutum, conſummatumque Palæſtritam iure dixeris. Quamobrem magnificum ſanè Athletæ cuidam, ἀπτώτῳ nomen fuit, quem Olym-

Cod. 97. piade CLXXVII. lucta vicisse, ex Phlegonte tradit Photius.

PRAECEPTO INVICTISSIMORVM PRINCIPVM DDD.NNN. FFF III. VALENTINIANI THEODOSII ET ARCADII. Ne statuæ priuatis in publico ponerentur sine decreto, aut permissione Imperatorum, iam inde à C. Cæsaris temporibus edicto cautum est, de quo Suetonius: *vetuit posthac cuipiam vsquam statuam, aut imaginem, nisi consulto se, & autore poni.* Hunc verò morem posterioribus etiam temporibus viguisse prodit sequens inscriptio ex Basi Romana.

In Iul. Ces. Cap. 24.

Apud Grut. Pag. CCCCLXV. 8.

SATVRNINIO. SECVNDO. V. C.
PRAESIDI PROVINCIAE AQVITANICAE
MAGISTRO. MEMORIAE. COMITI. ORDI
NIS PRIMI PROCONSVLI AFRICAE ITEM
COMITI ORDINIS PRIMI INTRA CON
SISTORIVM ET QVAESTORI PRAEF
PRAETORIO ITERVM OB EGREGIA
EIVS IN REMPVBLICAM MERITA
DD NN VALENTINIANVS ET
VALENS VICTORES AC TRIVMPFA
TORES SEMPER AVGVSTI
STATVAM SVB AVRO CONSTI
TVI LOCARIQVE IVSSERVNT.

Idemque constat ex alijs huius æui inscriptio-

ptionibus, quarum vnam etiam adſcribam, illuſtrem ſane, ex qua ſcilicet, quæ eſſent Imperatorum partes, quæ Senatus, quæ demum Pop. Rom. in honore ſtatuæ cuipiam decernendo planum fit.

ANICII. IVN
ANICIO. PAVLINO. IVN. C. V.
PRO. COS. ASIAE. ET. HELLESPONTI
CONSVLI. ORDINARIO. PRAEF. VRBI
VICE. SACRA. IVDICANTI. OB
MERITVM. NOBILITATES. ELOQVII
IVSTITIAE. ATQ. CENSVRAE. QVI
BVS PRIVATIM. AC. PVBLICE
CLARVS. EST. PETITV. POPVLI. R.
TESTIMONIO. SENATVS. IVDICIO
D. D. N. N. TRIVMPHATORIS. AVG
CAESARVMQ. FLORENTIVM
STATVAM. SECVNDAM. AVRO
SVPERFVSAM. LOCARI. SVMPTV
PVBLICO PLACVIT

In Theſ. Grut. Pag. CCCXLIII. 4.

Vides hinc populo, ac Senatui quempiam ad honotem Statuæ promouendi partes relictas, ius Statuæ decernendę vnà cum alijs imperij iuribus ad Imperatores delatum, vt Figrelius etiam obſeruat, Syntagmate ſingulari de Statuis illuſtrium Romanorum, colligiturque ex reſcripto Arcadij, & Honorij Augg.


lib. 1.

lib. 1. Cod. *de Stat. & Imag.* Quod autem in hoc marmore Valentinianus iunior, Theodosius, & Arcadius Augusti simul nominantur, quod alibi in inscriptionibus non reperio, tempus tantùm non acu designat, quo Ioanni huic Palæstritæ statua posita est, quod sanè annis ijs octo concluditur, quibus Valentinianum iuniorem cum Arcadio imperasse constat. Arcadius quippe, Idatio teste, Imperator appellatus est à patre, Merobaude II. & Saturnino Consulibus A. V. MCXXXVI. Valentinianus verò Arbogastis perfidia oppressus, Arcadio II, & Rufino Consulibus A. V. MCXLIV. Idatio eodem, ac Zosimo autoribus.

FINIS.



NOTAE
AD DONARIVM
NICOMEDIS MEDICI.



Tω σωτΗΡΙ ΑCΚΛΗΠΙω CωCΤΡΑ ΚΑΙ
ΧΑΡΙCΤΗΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΗC Ο ΙΑΤΡΟC

ΤΑΝ ΠΑΙΔΟC ΚΑΛΛΙCΤΑΝ
ΕΙΚωΤΑΝΔΕ ΘΕΟΙΟ
ΠΑΙΑΝΟC ΚΟΥΡΟΥ ΜΑΤΡΟC
ΑΠΑΡΤΙΤΟΚΟΥ
ΔΑΙΔΑΛΛωΝ ΜΕΡΟΠΕCCΙΝ
ΕΜΗCΑΟ CΕΙΟΒΟΗΘΕ
ΕΥΠΑΛΑΜΟΥ CΟΦΙΗC
ΜΝΑΜΑ ΚΑΙ ΕCCΟΜΕΝΟΙC
ΘΗΚΕ ΔΟΜΟΥ ΝΟΥCωΝΤΕ
ΚΑΚωΝ ΖωΑΓΡΙΑ ΝΙΚΟ
ΜΗΔΗC ΚΑΙ ΧΕΙΡωΝ
ΔΕΙΓΜΑ ΠΑΛΑΙΓΕΝΕωΝ.

Τῷ

Τῷ σωτῆρι Ἀσκληπιῷ σῶστρα καὶ
χαριστήρια Νικομήδης ὁ ἰατρός.

Ταὺ παιδὸς κλῃζίσαν εἰκὼ πάνδε θεοῖο
  Παιᾶνος κούρου ματρὸς ἀπαρτιτόκου
Δαιδάλλων μερόπεσσιν ἐμήσαο Σειοβοηθὲ
  Εὐπαλάμου σοφίης μνᾶμα καὶ ἐσσομένοις.
Θῆκε δ᾽ ὁμοῦ νούσων τε κακῶν ζωάγρια Νικο-
  μήδης, καὶ χειρῶν δεῖγμα παλαιγενέων.

Aesculapio Seruatori Donarium pro salute restituta, & gratiarũ actione, Nicomedes Medicus.

Pulcherrimam hanc imaginem pueri Dei
  Pæanis filij matris, quæ recens peperit;
Adornans mortalibus extudisti Seioboëthe
  Artificiosæ scientiæ monimentũ etiam posteris.
Posuit autem Nicomedes, vt sit simul pretium
  (liberationis à malis morbis,
  Et manuum specimen antiquarum.

Τῷ

Τῷ σωτῆρι Α᾽σκληπιῷ. *Soteris* appellatione insignitos Deorum plerosque, ac nonnullos etiam Regum Asiaticorum, obuium est ex Nummis, atque alijs veterum monimentis: ne quid dicam de Verre, quem non solum Patronum, sed etiam *Sotera* inscriptum Syracusis se vidisse testatur Cicero, idque ita magnum esse, vt latino vno verbo exprimi non possit. Nulli verò magis, quàm Aesculapio debitus huius appellationis honos apud Veteres, quem illi ἀλεξίκακον, πανῦδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων, ἰητῆρα πάντων certatim prædicant; vt ἀσκληπιὸν etiam dictum Phurnutus doceat, ἀπὸ τοῦ ἐπῶσθαι, καὶ ἀναβάλλεσθαι τὴν κατὰ τὸν θάνατον γινομένην ἀπόκλησιν, si locus sanus est, de quo vt meritò dubitem facit, quòd ex eo quid ad deducendum etymon τοῦ ἀσκληπιοῦ erui possit sanè non apparet, quòdque pro ἐπῶσθαι, ἐσκλῆσθαι legi in M SS. Phurnuti Cod. testatur Gyraldus, vt sit, *ab excludenda, ac reijcienda mortis vocatione*. Certiora illa sunt, quæ de nominis huius originatione doctè more suo scribit Eustathius. ἐκλήθη δὲ Α᾽σκληπιὸς, ἢ διότι, Α᾽σκλητὸν Ἐπιδαύριον ὀφθαλμιῶντα ἰάσατο ἤπιος ἐκείνῳ φανεὶς, ἢ πλεονασμῷ τοῦ λ᾽ παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἠπίως τοὺς νοσοῦντας, ὅ ἐστιν ἐπιμελείας ἀξιοῦν, ἢ παρὰ τὸ μὴ σκελετεύεσθαι αὐτοὺς ἐὰν ἠπίως προσφερόμενον. Obseruanda obiter quæ de huius ipsius dictionis tono ibidem addit accuratissimus Gramma-

Act. VII. in Ver.

Syntagmat. de Dijs pag. 243,

Ad Iliad. Δ Edit. Rom. pag. 463.

ticus: ἡ δὲ ὀξυτόνησις τοῦ ὀνόματος, ἀπορίαν ἔχει. εἴπερ καὶ ἄλλως αἱ συνθέσεις τοὺς τόνους ἀναβιβάζουσι. καλῶς οὖν ἐποίει Δημοσθένης, ὡς ἱστορεῖται, προπαροξυνῶν τὴν λέξιν, καὶ ἀναγινώσκων, ἀσκλήπιος. Magnifici verò ſunt illi Aeſculapij tituli apud Arnobium; *Deus præſtans, Sanctus Deus, ſalutis dator, valetudinum peſſimarum propulſator, prohibitor, & extinctor*. Cæterùm Aeſculapium Σωτῆρα appellatum paſſim reperio in Nummis ΕΠΙΔΑΥΡΙΩΝ,& ΚΩΙΩΝ & in inſcriptione Tiburtina apud Gruterum, in qua ΑCΚΛΗΠΙω ΘΕΩ CΩΤΗΡΙ, *Aeſculapio Deo Seruatori*. Quin & ex hac ipſa appellatione Agoni nomen fuiſſe, qui in honorem Aeſculapij celebrabatur Ancyræ prodit inſignis nummus Caracallæ ex Theſauro Chriſtinæ Reginæ, in cuius auerſa,figura ſedens, dextra vas cum palmis, ſiniſtra Templum gerit; inſcriptio verò, ΑCΚΛΗΠΕΙΑ CΩΤΕΙΡΕΙΑ ΙΕΡΟΠΥΘΙΑ ΑΝΚΥΡΑC. Vbi quod σωτείρεια pro σωτήρια, receptæ olim apud veteres ſcripturæ eſt, cuius exempla extant in lapidibus, in quibus Ἑρμεῖ, Ἀσκλειπάδης, σωτεῖρι, etiam,pro Ἑρμῆ, Ἀσκληπάδης, σωτῆρι. Promiſcuè enim η & ει, vtebantur veteres, vt ει, & ἰῶτα, quod iam obſeruauimus ad inſcriptionem primã Athleticam.

Lib. 7.

Pag. LXIX 8.

Σῶστρα. σῶστρα propriè præmium, merces, quæ ſeruatori datur. Magni Etymologici autor.

tor. Σῶστρα, τὰ σωτήρια, τουτέστι μισθοὶ, οὓς διδοῦσιν οἱ σεσωσμένοι. *Sostra, Soteria, hoc est merces, quam dant qui seruati sunt*. Sic λύτρα, merces pro redemptione non modò à captiuitate, sed à quauis re, quæ molestiam afferat: nam λύτρον καμάτων, & λύτρον συμφορᾶς apud Pindarum. Sic δίδακτρα, pretium pro institutione in litteris, quod latinis Minerual, μαίωτρα merces, quæ obstetrici datur, pro qua festiuè Vulcanus, apud Lucianum, Ioui Mineruam parienti malleo obstetricatus, eius nuptias sibi deposcit; sic demum apud Apollonium Rhodium ἐπίβαθρα pro naulo, quod solui consueuerat à vectore, cum nauim primùm conscendebat, vt colligere est ex his Iasonis ad Apollinem.

In Dial. Vulc. & Iouis.

Lib. 1. Argonaut.

Νῦν δ' ἴθι, καὶ τήν δ' ἡμῖν ἐκηβόλε δέξο θυηλήν,
Ἥν τοι τῆς δ' ἐπίβαθρα χάριν προὐτετίμεθα νηὸς
Πρωτίστην.

Scholiastes ad locum: Ἐπίβαθρα, ἐπιβατήρια, χάριν δὲ, μισθὸς νῦν, ὑπὲρ τοῦ ἐπιβῆναι νῦν πρῶτον τῆς νεώς.

Χαριστήρια. Hesychius, χαριστήρια, χαρίσια τὰ δῶρα, quasi dona pro gratiarum actione, quæ Dijs pro accepto beneficio aliquo referebantur; ῥύσια aliter Magni Etymologici autori, cui illa, sunt, τὰ ὑπὲρ ὑγείας, καὶ εὐτυχίας εὐχαριστήρια. In marmore Arundelliano VIII.

Ο ΙΕΡΕΥΣ ΑΡΧΙΔΑΜΟΣ
ΦΙΛΑΙΝΕΤΟΥ ΙΣΙΔΙ
ΟΣΙΡΙΔΙ ΑΝΙΟΥΒΙΔΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ.

Neque pro ſalute tantùm χαριςήρια ſoluebantur, ſed quacumque de re, quæ alicui proſperè accidiſſet, vt de Aſpaſia narrat Aelianus, de qua: καὶ ἔθυε τῇ Ἀφροδίτῃ τελεςήρια, καὶ χαριςήρια, quòd nempe ſe Cyro gratam, amabilemque reddidiſſet. Et pro libertate, cuiuſmodi Athenis peragebantur in memoriam reſtitutæ a Thraſybulo, ductis Phylâ militibus, libertatis, quod narrat Plutarchus. Τῇ δὲ δωδεκάτῃ (Βοηδρομιῶνος) χαριςήρια ἔθυον ἐλευθερίας. ἐν ἐκείνῃ γὰρ οἱ ἀπὸ φυλῆς κατῆλθον. Eiuſmodi quoque ſunt quorum mentio in marmore Patauino apud Pignorium.

Lib. XII. Var. Hiſt.

De Glor. Athen.

Symbol. Epiſt. 40.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΤΗ ΝΕΜΕΣΕΙ
ΡΑΜΝΟΥΝ ΤΟΘΕΝ ΝΕΑΙΡΑ
ΑΘΗΝΑΙΑ ΧΑΡΙΤΟΒΛΕΦΑ
ΡΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Dignum autem obſeruatu eſt, Neæram hanc, Ἀθηναίαν vocari in veteri hoc lapide, contra quàm Athenis olim fieri conſueuiſſe, eſt

apud

apud Scriptores, qui fæminas Athenienses non Ἀθηναίας, sed ἀστὰς, aut ἀττικὰς appellari solitas tradunt. Autor Magni Etymol. Ἀθηναία ἡ θεός. ἡ δὲ γυνὴ, ἀττική. Aristophanis Scholiastes. ὅτι τὴν Θεὸν οὕτως ἔλεγον Ἀθηναίαν. διὸ καὶ πολῖτιν οὐκ ἀθηναίαν, φεύγοντες τὴν ὁμωνυμίαν, ἀλλ' ἀστήν. Et Εἰρήνῃ, ad Ἀθηναία. οὕτως τὴν Θεόν. τὰς δὲ γυναῖκας ἀστάς, ἵνα μὴ ὁμωνύμως. Antiquitus enim Minerua Ἀθηναία nominabatur, quæ postea Ἀθηνᾶ, non alia de caussa, quàm ne appellatio, quæ antea ipsius erat propria, cum Atticis mulieribus communicaretur. ὅτε δὲ ἤρξαντο (inquit Eustathius) αἱ ἀσταὶ ἤτοι ἀττικαὶ γυναῖκες ἀθηναῖαι λέγεσθαι, τότε δὴ ἐπενοήθη καὶ τὸ τὴν Θεὸν μηκέτι ἀθηναίαν καλεῖσθαι, ἀλλὰ κατὰ συναίρεσιν Ἀθηνᾶν. Cur autem antiquioribus temporibus Athenienses fæminæ nequaquam Ἀθηναῖαι dicerentur, narrat ibidem autor doctissimus his verbis. Ἰστέον δὲ ὅτι παρασημειοῦνται οἱ παλαιοί, μὴ λέγεσθαι πότε ἀθηναίαν γυναῖκα διὰ τὴν τοιαύτην ὁμηρικὴν Ἀθηναίαν, ἤτοι Ἀθηνᾶν. ἀνὴρ μὲν γάρ φασιν Ἀθηναῖος, ὥσπερ καὶ Θηβαῖος, οὐ μὴν ὥσπερ θηβαία, οὕτω καὶ ἀθηναία γυνὴ, ἀλλὰ ἑτερωνύμως γυνὴ ἀττική. τὸ γὰρ Ἀθηναία ἤδη προκατείληπται ὅθεν, ὡς θεῖόν τι τυγχάνον ὄνομα, καὶ ἠπερηρημένον, οὐ θέμις ὑποκαταβῆναι, καὶ θνητοῖς προσώποις ἐγκαθεσθῆναι, καὶ οἷον ἱεροσυληθῆναι θεῖαν κλῆσιν. *Sciendum autem est quod veteres notant, mulierem nunquam* Ἀθηναίαν *dici ob hanc*

In Auib.

Ad τί οὐκ Ἀθηναίαν.

Ad Iliad. A. Edit. Rom. pag. 84.

ob hanc Homericam Ἀθηναίαν, *seu* Ἀθηνᾶν. *Vir enim, aiunt,* Ἀθηναῖος *est, vt* Θηβαῖος, *non autem vt* Θηβαία, *sic & ἀθηναία mulier; sed aliter mulier Attica. Illud enim* Ἀθηναία *iam præoccupatum est; vnde tanquam diuinum quodpiam, ac sublime nomen haud fas est demitti, ac mortalibus imponi, & aliquo modo profanari diuinam appellationem.* Aliam quoque apud eundem rei huiusce caussam proferunt ex Metaclide, Pausanias, atque Aelius Dionysius veteres Grammatici: ἵνα μὴ τὴν ἄγαμον αἱ γαμούμεναι τῇ προσηγορίᾳ καταισχύνωσιν. Tertiam ex Varrone narrat S. Augustinus, fœminas decantata illa controuersia, quæ Mineruam inter ac Neptunum extitit de nomine Athenarum vrbi faciendo, pro Minerua sententiam tulisse, quòdque vna plus est inuenta fœminarum, quàm virorum, qui pro Neptuno suffragium tulerant, vicisse Mineruam, Neptunum vero iratum Atticam fluctibus populatum, quem vt placarent Athenienses, inter alias pænas, quibus mulctari mulieres placuit, id quoque sanxerunt, ne quis eas Ἀθηναίας vocaret.

De Ciuit. Dei Lib. XVIII. Cap. 9.

ΝΙΚΟΜΗΔΗϹ Ο ΙΑΤΡΟϹ. Insignis profectò Medicus fuit hic Nicomedes si is idem est, quod suspicari certè nihil vetat, cum eo, cuius elegantissimũ huiusmodi Epitaphium legitur in antiquo marmore nuper à tenebris vindicato.

Θ. K.

CTHΛHN EΘHKAN
NIKOMHΔEI CYNΓE
NEIC OCHN APICTOC
IHTPOC EN ZωOIC
OTHN ΠOΛΛOYC TE
CωCAC ΦAPMA
KOIC ANωΔYNOIC
ANωΔYNON TO Cω
MA NYN EXEIΘANωN
EYΨYXω NIKOMHΔHC
OC TIC OYKHMHN KAI EΓENO
MHN OYK EIMI KAIOYΛY
ΠOYMAI ZHCAC ETH MΔ
KAI HMEPAC KΓ.

Θ. K.

Στήλην ἔθηκαν Νικομήδει συγγενεῖς,
Ὃς ἦν ἄριστος ἰητρὸς ἐν ζώοις ὅτ' ἦν.
Πολλούς τε σώσας φαρμάκοις ἀνωδύνοις,
Ἀνώδυνον τὸ σῶμα νῦν ἔχει θανών.

Εὐψυχῶ Νικομήδης. ὅστις οὐκ ἤμην, καὶ ἐγενόμην, οὐκ εἰμί, καὶ οὐ λυποῦμαι ζήσας ἔτη ΜΔ. καὶ ἡμέρας ΚΓ.

D. M.

Cippum posuerunt Nicomedi consanguinei,
Qui optimus medicus erat dum viueret,

Qui-

Quique multos seruauit pharmacis dolorem tollentibus;
Corpus doloris expers nunc habet mortuus.

Bono animo sum Nicomedes. Qui non eram, & fui; non sum, neque ægrè fero, cùm vixerim annos XLIV. *dies* XXIII.

Quod autem in altera basis huius inscriptione Nicomedes hic ipse medicus Smyrnæum se prodit, suspicari licet eum scholæ Erasistrateæ addictum fuisse. Duæ siquidem in primis celebres extiterunt Medicorum sectæ, vt notum est, alterius conditor fuit Herophilus, qui artem medicam eò subtilitatis perduxit, vt teste Plinio, *in musicos pedes venarum pulsum describeret per ætatum gradus*. Alteram duxit Erasistratus Iulietes Aristotelis filia genitus, & Chrysippi discipulus, quem de vniuersa medicina scripsisse tradit Athenæus, quique cùm Antiocho Rege sanato, à Ptolemæo eius filio C. talentis fuisset donatus, pretium arti facere cæpit; vt ex Plinio eodem colligitur. Sectæ autē huius Erasistrateæ insignem olim Smyrnæ scholam fuisse docet sequens Strabonis locus. Μεταξὺ δὲ τῆς Λαοδικείας, καὶ τῶν Καρούρων, ἱερὸν ἐστὶ Μηνὸς Κάρου καλούμενον, τιμώμενον ἀξιολόγως. συνέστηκε δὲ καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον Ηροφίλειον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, καὶ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρου τοῦ φιλαλήθους καθάπερ ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμυρ-

Lib.29.c.1. (margin, beside "duxit, vt teste Plinio")
Lib. XV. (margin, beside "quique cùm Antiocho")
Lib. XII. (margin, beside "quens Strabonis locus")

Σμύρνη τὸ τῶν Ἐρασιστρατείων ὑπὸ Ἱκεσίου. νυνὶ δ᾽ οὐχ ὁμοίως τι συμβαίνει. *Inter Laodiceam, & Carura fanum est Mensis Cari nuncupatum, magna veneratione cultum. Nostra ætate fuit ibi Schola magna medicinæ Herophileæ operam nauantium à Zeuside gubernata, ac deinde ab Alexandro Philalethe, sicut & patrum nostrorum tempestate Smyrnæ Erasistratea schola fuit præside Hicesio: nunc nihil simile euenit.* Nicomedis huius Epitaphium facit vt alterius in mentem veniat, quo ab Empedocle decoratus est Pausanias celebris eius ætatis Medicus sequentibus carminibus. *Apud Laert In Emped.*

Παυσανίην ἰητρὸς ἐπώνυμον Ἀγχίτου υἱὸν
Φῶτα Ἀσκληπιάδην πατρὶς ἔτρεφε Γέλα
Ὃς πολλοὺς μογεροῖσι μαραινομένους καμάτοισι,
Φῶτας ἀπέστρεψεν Φερσεφόνης ἀδύτων.

Pausaniam medicum inclytum, Anchiti filium,
Hominem Asclepiadem patria aluit Gela,
Qui multos molestis contabescentes laboribus
Mortales auertit Proserpinæ adytis.

Τοῦ παιδὸς κλισίαν. Signum hoc Aesculapio puero à Nicomede dedicatum fuisse hinc non dubiè liquet; qua quidem specie illum apud Arcadas coli solitum ex Pausania disco, à quo duo Aesculapij pueri Templa memorantur, alterum apud Ladonem fluuium, in quo Trygonis eius nutricis sepulcrum, alterum prope Megalopolim, de quo hæc ille: *Arcadic.*

τ8τ8 μθμ δὴ τὸ ἄγαλμα ὀρθὸν πεποίηται πηχυαῖον μάλιστα, *huius recto statu signum nihilo est cubitali maius*. Ex quo inferre licet Aesculapium ne dum puerum, sed propemodum infantem diuinos honores promeruisse, idque eadem de caussa, quam ex veteribus fabulis prodit Pausanias idem, Aesculapiũ scilicet in agro Thelpusio, vbi à Coronide editus, expositusque fuerat, ignis è capite micantis indicio proditum pastori cuipiam, qui capras in vicinia pascebat, famaque peruulgata ab eo morbos omnes sanari, mortuosque ipsos in vitam reuocari, in Deorum numero statim haberi cæpisse. Eius facti religione adductum Nicomedem hunc censeo, vt Aesculapio puero donarium pro salute sibi reddita dedicauerit.

Corinthiac.

Παιᾶνος. Ob præstantiam in arte medica, aut eam etiam inuentam si Phurnuto, & Arnobio fides: alij enim alios Medicinæ Inuentores faciunt. Eadem quoque Aesculapio appellatio apud autorem Hymnorum, qui nomine Orphei circumferuntur, cuius est ille versus in hymno Aesculapij.

Ἰητὴρ πάντων Ἀσκληπιὲ δέσποτα παιάν.

Quod quidem non nisi ἀπὸ τ8 παίειν τὰς ἀνίας, Macrobio autore, qui Apollinem inde Παιᾶνα vocatum fuisse docet, eique etiam adstipulatur Eustathius. Neque erat cur in Theocriti Comate, Παιὼν mallet, quàm Παιὰν, vt est in vulga-

Lib. I. Sat. cap. X.
Ad Iliad. X pag. 1275, Edit. Rom.

vulgatis, doctissimus Heinsius, si eius, quem citauimus Eustathij loci in mentem venisset; nam, vt ibi docet ille, Παιὰν æquè benè, ac παιάων, παιήων, ac παιών dicitur. (In lect. Theocr. c. 9)

Κούρου παιδὸς ἀπαρτιτόκου. Hìc ni fallor allusum est ad id, quod narratur in fabulis, Coronide grauida ex Apolline, ob concubitum cum Ischye Elati filio à Diana fraternæ contumeliæ vltrice, interempta, Aesculapium ex vtero extinctæ, ac iam rogo impositæ extractum Mercurij opera, aut Apollinis ipsius, si Ouidio potius credendum, qui hæc de Aesculapij natalibus

Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina; sed natum, flammis, vteroque parentis (Metamorph. 2.)
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.

Quod autem ἀπαρτιτόκου hìc legitur, nō satis elegantis ac castigati Poëtæ est, qui ἀρτιτόκου dicere debuerat, si probatos scriptores sequi maluisset, quibus ἀρτίγονος, ἀρτίγαμος, ἀρτιγένειος dicitur, non ἀπαρτίγονος, ἀπαρτίγαμος, ἀπαρτιγένειος.

Εὐπαλάμου σοφίης. Sic, εὐπάλαμοι ὕμνοι in Græco Epigrammate, hoc est artificiosi. Sic Sisyphum πυκνότατον παλάμαις vocat Pindarus. (Olymp. Od. XIII.) Hìc propriè εὐπάλαμος σοφία statuariam designat; quemadmodum μηχανικὴ σοφία Mechanicen apud Procopium, qui Anthemium Trallianum insignem Architectum, cuius (De Aedif. lib. 1. cap. 1)

præcipuè opera vſus eſt Iuſtinianus in ædificijs à ſe extructis, ὅτι σοφίᾳ τῇ καλουμένῃ μηχανικῇ λογιώτατον appellat.

Νούσων τε κακῶν. Haud diſſimili ſanè loquendi modo, quo *valetudines peſſimæ* Arnobio loco paulò ante allato. Quo quidem epitheto nihil verius: nulla enim cum aduerſa valetudine boni cuiuſquam ſocietas, vt merito autor Hymnorum ſupra memoratus de Hygia

Σοῦ γὰρ ἄτερ πάντ' ἐστὶν ἀνωφελῆ ἀνθρώποισιν.

Ζωάγρια. Ζωάγρια ſunt τὰ ὑπὲρ τοῦ ζῆν διδόμενα ἄποινα magni Etymologici autori: κυρίως, pretium, dona, merces pro vita conſeruata; communiter autem, Euſtathio docente, τὰ διδόμενα ἐν πολέμῳ ὑπὲρ ζωγρήσεως λύτρα: *pretium, quod ſoluitur in bello ad captiuitatem redimendam*. Latiùs autem id vocabuli accipitur Homericis illis verſibus Nauſicaæ ad Vlyſſem.

Ad Odyſſ. A. p. 1425 Edit. Rom.

Odyſſ. Θ.

Χαῖρε ξεῖν' ἵνα καί ποτ' ἐὼν ἐν πατρίδι γαίῃ
Μνήσῃ ἐμεῖ', ὅτι μοι πρώτῃ ζωάγρια ὀφέλλεις.

Iliad. Σ.

Et illis Vulcani ad Thetidem.

Ἀλλὰ Θέτις τε, καὶ Εὐρυνόμη ἔσαν αἵ μ' ἐσάωσαν,
Ἡ νῦν ἡμέτερον δόμον ἥκει, τῷ με μάλα χρεὼ
Πάντα Θέτι καλλιπλοκάμῳ ζωάγρια τίνειν.

Καὶ χειρῶν δεῖγμα παλαιγενέων. *Manus* pro opere ipſo non rarò vſurpatur à Scriptoribus, ac Poëtis præſertim, vt Notis eruditiſſimis

mis ad Apellis vitam aduertit V. Cl. Carolus Datus: quo ſenſu ſi noſtrum quoque locutum fuiſſe alicui placeat ipſe haud inuitus aſſentiar. Eodem fere genio Eunapius in Priſco. Ἱλάριον δὲ καὶ ὁ ταῦτα γράφων ἠπίσατο ἄνδρα Βιθυνὸν μὲν τὸ γένος, Ἀθήνησι δὲ καταγηράσαντα, πρὸς δὲ τῷ καθαρῷ τῆς ἄλλης παιδείας καὶ γραφικὴν οὕτω φιλοσοφήσαντα, ὥστε οὐκ ἐτεθνήκει ἐν ταῖς ἐκείνου χερσὶν ὁ Εὐφράνωρ. *Hilarium quoque nouit huius ſcripti autor Bithynum natione, qui Athenis conſenuit, & præter alias ingenuas artes, adeò picturæ etiam ſtuduit, vt in eius manibus haud occidiſſe videretur Euphranor.* Locus hic corruptus in Farneſiano Cod. cuius exemplo vſus eſt Iunius in vet. edit. Antuerpiana, vbi πρὸς τῶν καθαρῶν legitur, eidem cauſſa fuit, vt ab Eunapij mente longè aberraret, nam eum ſic vertit: *& in arte pingendi aduerſus liberalium artium vacuos ita philoſophatus eſt, vt appareat in illius manibus non eſſe extinctum Euphranorem.* Neque tamen ille oſcitantiæ nota omnino caret, qui ſaltem mendum ibi latens debuerat deprehendiſſe, cùm nullus ex ea lectione in græco contextu ſenſus conſtet. Sed non vno loco ab eo peccatum in Eunapio intetpretando. Nam & in Aedeſio, celebri loco, quo impius Scriptor veterem Eccleſiæ ritum exagitat Martyrum reliquias peculiari cultu, ac veneratione pro-

ſequen-

ſequendi, mirificè hallucinatus eſt. Eunapij verba ſunt: οἵτε γὰρ καὶ κεφαλὰς τῶν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι ἑαλωκότων συναλίζοντες, οὓς τὸ πολιτικὸν ἐκόλαζε δικαςήριον, θεούς τε ἀπεδείκνυσαν. Hæc ille ita reddidit. *Ij namque* (Monachi) *condita, & ſalita eorum capita, qui ob ſcelerum multitudinem à iudicibus extremo ſupplicio fuerant affecti pro diuis oſtentabant*. Vbi perperam συναλίζειν pro *condire*, ac *ſalire* accipit, cùm eò loci id vocabulum *colligere*, aut *congregare* ſignificet. Cæterùm quando priori, quem attulimus Eunapij loco, Euphranoris mentio incidit eximij illius, vt opinor, pictoris, eiuſdemque fictoris celeberrimi, ac Praxitelis æqualis, haud prætermittendum ſilentio exiſtimaui, effoſſum ante paucos menſes in Cliuo Scauri prope Templum SS. Ioannis, & Pauli Hermam cum inſcriptione, ΗΡΑΚΛΗΣ ΕΥΦΡΑΝΟΡΟΣ, qui poſtea in Hortos Iacobi Ninij Cardinalis translatus eſt. Eodem quoque loco eruta sũt veſtigia, eaque ſanè illuſtria veterum Thermarum, è quibus etiam ſupererat integrum calidarium lateritij operis. Ad hæc repertæ ibidem columnæ ex nobili marmore, ſellæ plicatiles ex ære ad vſum balneorum, ſigilla ænea, aliaque nonnulla, quæ non vulgare eò loci ædificium olim extitiſſe indicio ſunt. Sed omnia, vt alia multa antiquæ Romæ rudera, quæ non ob

aliud

aliud ſedulò inueſtigantur; quàm vt citius pereant, à redemptoribus ſolo æquata. Eius Calidarij orthographia, vna cum duabus æneis ſellis extat in antiquario penu, quo Franciſcus Barberinus Cardinalis, optimarum omnium artium patronus inſignem, ac planè regiam Bibliothecam ſuam inſtruxit, atque auxit. Quoniam verò de erutis nuper antiquorum ædificiorum veſtigijs ſermo incidit, operæ pretium erit nonnihil dicere de monimento venerandæ antiquitatis, quod in Tuſculano, anno ſuperiore detectum eſt: Sepulcrum, inquam, gentis Furiæ, vetuſtæ in primis ſtructuræ, quæque priſcam illam Pop. Rom. ſimplicitatem maximè redolet. In ſylua igitur, quæ ad Eremum Monachorum Camaldulenſium pertinet, ſecus publicam olim viam, cuius veſtigia adhuc ſuperſunt, ſolo imbrium copia deſidente, prodiderunt ſeſe reliquiæ veterum murorum è lapidibus quadratis, quos muros, veſtibuli olim fuiſſe dignoſcitur, per quod ad monumentum ipſum patebat aditus. Nam in conſpectu, qua muri, quos diximus deſinebant, monumenti oſtium, atque illud quidem non ea forma, qua nunc oſtia fieri ſolent, ſed parte ſuperiore aliquanto arctius. Eius antæ, ac ſuperliminare ex Albano lapide (vulgo *Peperino*) omnia, ſine vllo quidem ornatu, ſed egregiè compa-

cta.

cta. Quod autem obseruatu dignum, valuarum, aut forium loco ostij lumen ita vnico lapide ad vnguem occlusum, vt nihil fieri possit in eo genere exactius. In eo lapide, vt in foribus bipatentibus etiamnum fieri solet, tympana vtrinque impagibus, ac coronis conclusa; ac quo loco manubria apponi solita, binæ exculptæ laruæ, muliebris capitis speciem exhibentes. Conditorium in ipso topho excisum, in cuius medio sarcophagus erat quinque circiter pedum, lapide fastigiato opertus, cuiusmodi & aliæ, ad duodecim, longè minores vrnæ in loculamentis ad vtrumque conditorij latus positæ. In earum nonnullis cineres reperti, atque æreus etiam nummus humano capite signatus. Inscriptiones, quarum aliæ in ipsa vrnarum fronte, aliæ in earum operculis extabant, quasque nos ipsi descripsimus, hìc quàm diligentissimè fieri potuit expressas exhibemus.

ATVRΓLEIO C. F

C. TVRΓVEIO C. F


II.

Q. I'IOVRIO. A. I'


III.

In fronte Arcæ. P. I'IOV. C. I'

Ibidem in Operculo.



IV.



Sequentium nobis copiam fecit Monachus quidam, cuius fidem ſequi in ipſis deſcribendis coacti ſumus.

1

C· I'OVR

2

C· I'OVR
I· M ·I'

3

I'OVRIO
M·F·C·F·

4

CN·ΛOVRIO

Aliquot etiam, quæ, vt ab eodem Monacho

cho audiui minio tantùm ſcriptæ, non inciſæ erant, imbribus deiectæ perierunt. Reperta in eodem conditorio vaſa nonnulla ex ijs, quæ vulgò Tuſcanica antiqua eſſe creduntur, ac fragmenta etiam coronæ teſtacei operis, varijs coloribus eleganter depictæ. Ex his omnibus nemini, vt opinor non erit perſuaſum id, quod antea præfatus ſum de monumenti huius vetuſtate, quam in primis prodit obſoleta literarum forma, quibus ſcripta ſunt ſepulchralia hæc epigrammata, in quibus (vt mittam L illud vncinatum, & P ad Γ Græcorum inſtar, quales cernere eſt in antiquiſſima illa Inſcriptione L. Scipionis, Barbati F.) priſci illius æui in ſcribendo ruſticitatem præſefert inuſitata duarum literarum I' & Λ ſpecies, ne quid de illa dicam, quæ primum in II. Inſcriptione locum obtinet, qua in litera eius ductus, quæ in vulgarem Q haud difficile exeat licet agnoſcere. Sed de his curioſius alij viderint, nobis in huiuſmodi rebus hariolari non libet.

In altera Basis parte.

TΩ BACIΛEI ACKΛΗΠΙΩ CΩCTPA KAI XAPICTH
PIA NIKOMHΔHC CMΥPNAIOC IATPOC

OIΟN EMAIOCANTO NEON TOKON
ΕΙΛΕΙΘΥΙΑΙ
ΕΚΦΛΕΓΓΟΥ ΚΟΥΡΗC ΦΟΙΒΩ
ΑΚΕΙΡΕΚΟΜΗ
ΤΟΙΟΝΤΟΙ ΠΑΙΑΝ ΑCΛΗΠΙΕ
CΕΙΟΒΟΗΘΟC
ΧΕΙΡΟC ΑΓΑΛΜΑΓΑΘΗC
ΤΕΥΞΕΝ ΕΑΙC ΠΡΑΠΙCΙΝ
ΝΗΩΔΕΝΤΩΔΕ ΖΩΑΓΡΙΑ ΘΗΚΕΝ
ΟΡΑCΘΑΙ
ΠΟΛΛΑΚΙCΑΙC ΒΟΥΛΑΙC
ΝΟΥCΟΝ ΑΛΕΥΑΜΕΝΟC
CΟCΘΕΡΑΠΩΝ ΕΥΧΗCΟΛΙΓΗ . .
ΔΟCΙΝ ΟΙΑ ΘΕΟΙCΙΝ . . .
ΑΝΔΡΕC ΕΦΗΜΕΡΙΟΙ ΤΩΝ . . .
ΦΕΡΟΥCΙ ΧΑΡΙΝ

Τῷ

Τῷ Βασιλεῖ Ἀσκληπιῷ σῶστρα, καὶ χαριστήρια Νικομήδης Σμυρναῖος Ἰατρός.

Οἷον ἐμαιώσαντο νέον τόκον Εἰλίθυιαι
Ἐκ Φλεγύου κούρης Φοίβῳ ἀκειρεκόμῃ.
Τοιόν τοι Παιὰν Ἀσκληπιὲ Σειοβοηθὸς
Χειρὸς ἄγαλμ' ἀγαθῆς τεῦξεν ἑαῖς πραπίσιν.
Νηῷ δ' ἐν τῷδε ζωάγρια θῆκεν ὁρᾶσθαι
Πολλάκι σαῖς βουλαῖς νοῦσον ἀλευάμενος
Σὸς θεράπων, εὐχῆς ὀλίγην δόσιν, οἷα θεοῖσιν
Ἄνδρες ἐφημέριοι τῶν (δε) φέρουσι χάριν.

Aesculapio Regi donarium pro salute restituta, & gratiarum actione Nicomedes Smyrnæus (Medicus.

Qualem recens natum obstetricatæ sunt Ilithyiæ
Ex Phlegyæ filia Phœbo acersecomi,
Talem tibi, Pæan Aesculapie, Seioboëthus
Opus doctæ manus sua industria fecit.
In hoc verò Templo conspiciendum posuit pro (mercede vitæ seruatæ
Morbo sæpe tuis consilijs euitato
Tuus seruus, tenue pro voto donum, qualia Dijs
Mortales horum gratia offerunt.

Τῷ

Τῷ Βασιλεῖ Α᾿σκληπιῷ. Regis appellationem, vt hìc Aesculapio, Ioui, Apollini, atque alijs etiam Deorum à Poëtis Græcis tribui nemo nescit, qui in eorum lectione haud sit omnino hospes. Aesculapius autem Rex appellatur in veteri quoque lapide apud Gruterum, in quo, ΣΟΙ ΠΑΙΗΟΝ ΑΝΑΞ ΑΣΚΛΗΠΙΕ &c. legitur, vt in alio apud eundem, ΚΥΡΙΩ ΑCΚΛΗΠΙΩ. Cæterùm regiæ appellationis Aesculapio tributæ causam repetere licet ex illis Eustathij. Σημείωσαι δὲ ὅτι οὐ μόνον Ο῞μηρος Βασιλεῖς λέγει τοὺς ἐνδόξους καὶ βασιλικούς, ἀλλὰ οἱ μετ᾿ αὐτόν. παρὰ Σοφοκλέους γοῦν ἡ Ι᾿οκάστη τοὺς ἐν Θήβαις ἐπισήμους, χώρας ἄνακτας λέγει· καὶ Η῾σίοδος δὲ τοὺς δικαστὰς Βασιλεῖς λέγει ἐν τῷ, αἶνον βασιλεῦσ᾿ ἐρέω. *Nota autem quòd viros celebres, ac regiæ stirpis non solus Homerus Reges appellat, sed etiam alij post ipsum. Nam apud Sophoclem Iocasta proceres Thebanos, eius loci Reges vocat, & Hesiodus iudices, Reges nominat carmine illo,* αἶνον βασιλεῦσ᾿ ἐρέω. Quod si apud veteres ij reges vocabantur, qui nobilitate, atque opibus cæteris præcellerent, quanro æquiùs erat eo titulo Aesculapium appellari, qui præterquam quod Apollinis filius erat, maternum etiam genus ad Phlegyam referebat, qui & ipse Rex dicitur ab Homero in hymno Aesculapij, & eo potentiæ genere floruit, quod ad diuinitatem propiùs accederet,

Pag. MLXXIII. 4.

Ad Odyss. pag. 1425. Edit. Rom.

& mortalibus esset vtilissimum.

Ε'ιλίθυιαι. Ilithyas, seu Lucinas plures facit, Homeri exemplo his versibus. *Iliad. Λ.*

Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκας
Δριμὺ, τότε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι
Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.

Quos quidem versus non Homerum, sed Homeridem difficilem partum expertam composuisse, vulgò à fœminis sui temporis creditum tradit Plutarchus. Multa περὶ Εἰλειθυιῶν ad Grammaticos pertinentia Eustathius ad locum; nos ea huc afferre contenti erimus, quæ ille φιλοσοφικῶς ad allegoriam illustrandam, cur illæ Iunonis filiæ dictæ sint enarrat. *De Amore Prolis.* *Pag. 844.* καὶ οὕτω μὲν ὁ γέρων μῦθος, καὶ ἡ πρεσβυτάτη γραμματικὴ μαιοῦνται τὴν Εἰλείθυιαν, ἡ δὲ φιλοσοφία ἐνδεξαμένη, τελεσφορεῖ πρὸς ἀλήθειαν, λέγουσα θυγατέρας Ἥρας τὰς Εἰλειθυίας, ἐπειδὴ τηνικαῦτα τὸ βρέφος εἰς φῶς ἐλεύθῃ, ὅταν τὰ ἐκ τῆς Ἥρας αὐτὸ προκαλέσηται. τότε γὰρ τὸ ἔμβρυον ἐκκύπτει πρὸς γέννησιν ἱκανῶς ἔνδον θαλαμευθὲν, ὅταν καὶ ὁλκῆς ἀέρος, καὶ τῆς ἔξω ζωῆς ἐξ ἀνάγκης προσδέηται. εἰσὶν αὖ οὕτω Εἰλείθυιαι, ὡς μὲν ἐν αὐθ' ἑνὸς φράσαι αἱ ἐλεύσεις, σαφέστερον δὲ εἰπεῖν, αἱ ἐς φῶς ἐλεύσεις, καὶ προαγωγαὶ τῶν κυοφορουμένων. *Atque ita quidem veteres fabulæ, atque antiquissima Grammatica Ilithyæ obstetricantur, philosophia verò illam suscipiens ad verum perficit Ilithyas Iunonis filias appellans, quando-*

doquidem tùm fætus in lucem prodit; cùm quæ sunt Iunonis ipsum eliciunt. Tunc enim fætus sufficienter in vtero commoratus in lucem prodire gestit, cùm aëris attractione, atque exteriore vita necessario eget. Sint igitur Ilithyæ, vt singula singulis reddantur, αἱ ἐλεύσεις, dilucidius verò loquendo, αἱ ἐς φῶς ἐλεύσεις, & productiones fætuum. Græcos autem Grammaticos deridendos propinat Seldenus, quòd Εἰλείθυιαν ab ea, quam ex Eustathio audiuimus origine dictam volunt. Id vocabuli ipse ab Alilat Arabum, seu Lilith Iudæorum factum docet, quæ Noctilucam, vel nocturnum dæmonem significat, neque ab ea differt, quæ latinis Lucina, Græcis Εἰλείθυια, Ἐλευθὼ dicitur; sed de his videant Orientalium linguarum periti.

Syntagm. 2. de Dijs Syr. pag. 249.

Ἐκ φλεγύου κούρης. Coronidem Nympham, ex qua natus hìc dicitur Aesculapius, Phlegiæ filiam fuisse certissimum est in fabulis, vnusque pro omnibus rei huius testis locupletissimus Poëtarum princeps, hymno Aesculapij.

Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ' ἀείδειν
Υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ κούρη Φλεγύου βασιλῆος.

Illud non ita certum, Coronidem ne, an Arsinöem matrem habuerit Aesculapius; nam vtrumque credidisse veteres poëtas, atque alios etiam scriptores comperio. Pro Coronide stant Homerus, Pindarus, Hesiodus;

Pro

Pro Arſinöe autem Aſclepiades, cuius de ea ſequẽtes verſus extãt apud Pindari Scholiaſt. *Ad Pyth. Od. 3. pag. 216.*

Ἡ δ' ἔτεκ' ἐν μεγάροις Ἀσκληπιὸν, ὄρχαμον ἀνδρῶν
Φοίβῳ ὑποδμηθεῖσα, ἐϋπλόκαμόν τ' Ἐριῶπιν,

Et Socrates, (ille fortaſſe, quem ἐν τοῖς περὶ ὁσίων citat Plutarchus) apud eumdem Scholiaſtem, qui quidem Socrates Aeſculapium Arſinöes natura filium, adoptione verò Coronidis fuiſſe tradit. *De Iſid. & Oſir.* Id autem inter Philologos diſsidium facilè conciliari poſsit autoritate Ariſtidis ἐν τῷ περὶ Κνίδου συγγράμματι, cuius hæc habentur in iiſdem ſcholiis. Ἀσκληπιὸς Ἀπόλλωνος παῖς καὶ Ἀρσινόης, αὕτη δὲ παρθένος οὖσα, ὠνομάζετο Κορωνίς. *Aeſculapius Apollinis, & Arſinöes filius, hæc verò antequam nuberet, Coronis vocabatur.*

Φοίβῳ ἀκειρεκόμῃ. Nullũ frequentius Apollini epithetum tribuitur apud Poëtas Græcos, quàm ἀκειρεκόμου, ſeu ἀκερσεκόμου, quod *intonſi* eſt apud latinos. Nos *acerſecomen* in latina quoque interpretatione ſcripſimus, Iuuenalem ſecuti.

Νηῷ δ' ἐν τῷδε. Aeſculapij fanum à Diocletiano extructum in Thermis Traiani, ex Actis Martyrij S. Seueri, & ſociorum profert Famianus Nardinius. Quæ ſi vera ſunt, vix eſt cur ambigi poſſit Donarium hoc Nicomedis Medici ad idem quoque fanum pertinuiſſe: nam & id in primis ſuadet reperti huius noſtri marmoris locus, circa quem exti- *Antiquæ Romæ lib. 3 cap. 10.*

tiſſe olim Traiani Thermas Antiquariorum omnium communis opinio eſt; & coniectu-ræ alioquin noſtræ ſuffragari videntur Rufus, & Victor, qui in regione III *Iſidis & Monetæ*, cuius antiquitus pars fuerunt Thermæ Traiani, Aeſculapij Aediculam recenſent, quæ an eadem habenda ſit cum Templo Aeſculapij, de quo hìc ſermo, difficile dictu eſt. Video enim Aediculæ vocabulum haud rectè ſatis conuenire alteri τοῦ νεὼ, quo vſus eſt Epigrammatis huius autor. Quid verò ſi ille Poëtarum more loquatur, cùm præſertim, quòd in ipſis Thermis Aedem, qualiſcumque tandem illa fuerit, Diocletianus extruxerit, illam haud eius amplitudinis extitiſſe probabile eſt, vt, impropriè ſaltem, Aedicula, aut Sacellum appellari non potuerit à Rufo, & Victore. Maius negotium faceſſit quòd, cùm eius Templi conditor Diocletianus aſſeratur, neceſſariò Inſcriptionis noſtræ ætas ſaltem ad eius tempora referenda ſit; quod neque profectò negare, neque tamen, in præſentia, affirmare auſim. Illud potius in medium proponam, quò huic difficultati occurram, num fanum illud Aeſculapij, quod Diocletianum ædificaſſe narrat autor Actorum, quæ antea citauimus, ab eo, non à ſolo quidem excitatum, ſed ſolummodo inſtauratum, aut ornatum fuerit; quæ res in veteribus ſæpe ædificijs falſam de eo-

rum

rum conditoribus opinionem intulit. Cuius ſanè rei ne longius exempla petenda ſint, hæ ipſæ Traiani, vt vocant, Thermæ, quæ primùm à Tito extructæ, à Traiano, atque Hadriano auctæ deinde, exornatæque ſunt, nonne Antiquarijs erroris cauſam præbuerunt, vt illas, alij Titi, alij Traiani, alij demum Hadriani Thermas appellauerint? quæ tamen vnæ, eædemque fuerunt, vt rectè monet Famianus Nardinius modò memoratus, cuius & idem de Thermis Neronianis iudicium eſt, quæ poſtea ab Alexandro Seuero, qui eas amplificauit, aquam induxit, & oleum in nocturnos vſus addidit, Alexandrinæ dictæ, Victore ipſo teſte, vetere appellatione, ſi Caſſiodorum audimus, odio Populi Romani in Neronem, obliterata. Vbicumque verò tandem extiterit ædes illa, in qua à Nicomede ſignum hoc Aeſculapij pueri dedicatum, certum eſt, eam non ante Traiani tempora extructam fuiſſe, vt colligitur ex Plutarcho, qui cũ in Quæſtionibus Romanis id quærat, cur Aeſculapij fanum extra Vrbem ſit, vnicum eius Dei Templum in Vrbe agnouiſſe videtur, illud nempè celeberrimum, quod in Inſula Tyberina fuit. Illi autem, ſubſecutis temporibus non vnam dicatam fuiſſe Aedem comperio. Nam præter Aediculam illam, cuius modo meminimus ex Rufo, & Victore, aliud etiam Aeſculapij Templum memo-

Lib. 3. c. X.

ratur. apud eosdem in Regione V. *Esquilina*. Instaurati verò circa illa ipsa tempora Aesculapij cultus originem si curiosius inuestigare fas sit, illam haud perperam fortasse referre liceat ad ea, quæ multis narrat Lucianus de Alexandro quodam insigni sui temporis impostore, qui serpentem cicurem nactus, quales Pellæ in Macedonia reperiebantur, ac sibi Coccona quopiam eiusdem farinæ homine in societatem fraudis adscito, fabulam de Aesculapio, serpentis specie apud se degente venditare opportunè adeò sciuit, vt fama statim peruulgata, Aesculapium inter mortales versari, qui, & morbis mederetur, & oracula etiam ederet, non modò ex Asia omni, verùm etiam ex Italia, atque Vrbe ipsa ad nouam commentitij Aesculapij cortinam confluere statim cæpisse haud infimæ quidem sortis homines, sed eos inter Quirites, qui plurimùm autoritate, atque opibus pollerent, vt vix ea tempestate sanctius, aut celebrius quidpiam fuerit.

Pyth. Od. VIII. Ἄνδρες ἐφημέριοι. Respexisse videtur ad illud Pindaricum.

Ἐπάμεροι, τί δέ τις, τί δ' οὔ τις;
σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι.

Quò faciunt etiam illi Aeschyli versus.


Apud Stobæum Ser. CCXLVII Τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφήμερα φρονεῖ
Καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον, ἢ καπνοῦ σκιά.

FINIS.

AVCTARIVM VETERVM INSCRIPTIONVM EX MARMORIBVS AFRICANIS.



LECTORI.



Vod vetus adagium est, noui semper aliquid adferre Africam, mihi quoque vsurpare in præsentia licet. Nam quis ab ea terra, in qua barbaries hac tempestate, non tam nomine, quàm re, tanquam suo in regno consedit, aliquid præstari potuisse credat ad literas iuuandas? quod tamen in ipso libri huius limine ipse tibi, lector, statim, ni fallor, persuasisti, audita Africanarum Inscriptionum mentione, qua sanè iniectum tibi non mediocre desiderium arbitror rem nouam, atque inopinatam propiùs cognoscendi. Ne te autē diutius expectatione suspēsum teneam, scito vsurpare tibi oculis hìc licere veteres aliquot Inscriptiones, quæ in agro Tunetano, ac circumuicinis regionibus reperiri potuerunt, non tam numero, qui haud sanè ingens est, quàm aliis nominibus commendabiles.

Vtinam

Vtinam & integræ omnes, earum ſiquidem bona pars, ſiue æui vetuſtate, ſiue operarum negligentia in amoliendis, aſportandiſque marmoribus, corruptæ, mutilæque sũt. Ne quid verò hac in re deſiderari poſſit, illa ipſa marmora pro ſuo in literis promouendis ſingulari ſtudio, ex Africa Florentiã trãsferri iuſſit Leopoldus Medices Cardinalis, qui auitæ laudis imitator egregius, quod olim eius Maiores fecerant eruditæ Greciæ theſauris, è barbarorũ manibus vindicatis, & ipſe præſtitit in antiquis hiſce monimentis, è iacentis Africæ ruderibus eruendis. Eas itaque inſcriptiones, quas ex ijs marmoribus, ſumma fide deſcriptas à viris doctis, ac diligentibus, Princeps humaniſſimus, atque antiquitatis omnis apprimè ſtudioſus, dum liber hic meus iam ſub prælo eſſet, mecum communicauit, lubens auctarij vice tibi offero. Erat animus notas adiungere, quibus ex ijs aliquot, quæ lucis indigere videbantur illuſtrarem; ac nonnulla addere, quæ circa veteris Carthaginis Antiquitates, aliaſque, quarum veſtigia extant in agro Tunetano, obſeruauit vir eruditus Ioannes Pagnius in Gymnaſio Piſano Medicinæ profeſſor, qui præſens huic Inſcriptionum conquirendarum negocio præfuit: ſed de his, Typographo vrgente, cogitare vix licuit. Tu interim operam hanc noſtram, qualiſcumque tandem illa ſit, boni conſule.

I.

IVLIAE. DOMNAE. AVG.
MATRI. CASTRORVM
MATRI. AVGVST. ....
IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. CONIVGI
Q.SILICIVS.VICTOR. ET. C. TADIVS. FOR
TVNATVS. OB. HONOREM. FLAM
SVI. PERPETVI. STATVAM. CVM
BASE. EX. HS. BINIS. MILIBVS. N. LEGI
TIMIS. ADIECTIS-TERTIS. EX. DE
CRETO PAGANOR. PAGI. MERCVRIALIS
VETERANORVM. MEDILITANOR.
S.P.F. IDEMQVE DEDICAVERVNT

II.

. . . .
. . . .
:.... PECVNIA PERFECIT ET
DEDICAVIT. ET OB DEDICATIO
NEM PVGILVM CERTAMINA
EDIDIT. ET DECVRIONIBVS
SPORTVLAS. ET POPVLO GYMNA
SIVM. EPVLVM DEDIT. ET HOC
AMPLIVS PRO SVA LIBERALITA
TE CAMERAM SVPERPOSVIT. ET
OPERE. MVSEO. EXORNAVIT.
..... CVM.. A.. EIS. FELICE. ET
RVFINO. II......... OB QVAM
DEDICATI... PV... M DEO....
. . . .
. . . .

AN-

III.

ANTONINI. . . . . . .
. . . . . . AVG. TOTIVSQ. DO
MVS EORVM. C. VOLCIVS. QVIE
TVS ARAM A SOLO EX. HS. D
N. S. P. F. IDEMQ DEDICAVIT
ET OB * DEDICATIONE CON
GENTILIBVS. ET. SACERDOTI
. . . . . . ISCERATIONEM. ET
. . . .

* *Sic in marmore.*

IV.

CAELESTI. AVG. SAC
Q. MA. . TIVS PRIMVS
AD AMPLIATIONEM
TEMPLI ET GRADVS
DONAVIT)-(. CXXV
VOT. SOL. LIB. ANI.

V.

IMP. M. AVRELIO AN
TONINO. AVG. PARTH. MAX.
PRINC. IVVENT. TRIB. POTESTAT.
IMP. II. CAES. L. SEPTIMI.
SEVERI PII. PERTINAC. AVG. ARAB
ADIAB. PART. MAX. F. DIVI. ANTONINI
GERM. SARM. NEP. DIVI ANTONINI PRO
NEP. DIVI HADRI. ANTONINI
PARTH. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

V I.

C.SVLGIO.L.F.PAP.CAECILIANO.PRÆF.LEG.III.......
.. AER.P.LEG.XX.VALERIAE.VICTRICIS ....
OVATIONI CLASSIS.PRÆTORIAE ME.....NATIVM.....
VINDICIS. ET THENSAVRIS DOMIN. ....
RVM DIVEHENDARVM 7. LEG.. T. ....
.. PRIMAE PARTHICAE.... ET XVIII
CLASSIS PRAEF.........RIAE
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

VII.

IMP. CAES.
M. IVLIVS PHILIP
PVS. INVICTVS. PIVS
FELIX. AVG. PONT
MAX. TRIB. POT. COS
DESIG. P. P. PROCOS ET
M. IVLIVS PHILIPPVS
NOBILISSIMVS CAES
. . . . VIRTVTIS
. . . . ILIA

VIII.

IMP. CAES. C. MESSIVS
Q. TRAIANVS * DECCIVS
INVICTVS. PIVS. FELIX. AVG
P. M. TRIB. P. COS. II. P. P. PROCOS.
II. Q. HERENNIVS ETRVSCIVS
MESSIVS DECCIVS. CAES.
. . . .

Sic in Marmore.

IX.

SAT. AVG. SAC
LABIENVS PV
DENS. CAECI:
LIANVS. C. V.
V. S. L. A.

X.

S. D. S.
L. SVLLIVS
FIRMVLVS
SACERDOS. D. S.
V. S. L. A.

XI.

S. A. S.
SEX. VALERIVS
FESTVS
SACERDOS
V. S. L. A.

XII.

..... NTIANAM BASILICAM
...EROLIVS.CÆCILIANVS.CVR.R.P.FECIT

XIII.

STAE. SACRVM
.... I. MAXIMI. MEDICI. ET. L. AVRELII. VERI. AVG. ARMENIACI. PARTH
.... PLVM.CVM.ARCV.ET PORTICIBVS.ET.OSTEIS.ET.OPERE ALBARI.A FVND

...IHA-

XIV.

.... I HADRIANI ABNEPOTIS
......TONIS. ET EXEDRIS. CVM STATVIS

XV.

D. M. S.
M. AEMILIVS RECEPTVS ROGA
TIANVS. PIVS. VIXIT ANNIS LXIII. H. S. E
... VIC. AEMILIA. RECEPTA VXOR. ET P. SEXTICIVS. APOLLINARIS
ET AEMILIVS. SATVRNINVS........HAEREDES MONVMENTVM
FECERVNT

XVI.

D. M. S.
ANNARIA
FRVCTA
CONIVNX
CARISSIMA
PIA. VIXIT
ANNIS XXXV
H. S. E.....

XVII.

D. M. S.
APRONIA. VIC
TORIA PIA
VIX. ANN. XLIIX
M. II. D. XI
H. S. E. .....

XVIII.

D. M. S.
M. IVLIVS. I
THIMBAL. A
MVLIANVS.
VIX. ANN. LXXI

XIX.

D. M. S.
GEMINA
A. FIL. ARTEM

XX.

D. M. S.
CVRIA. FELI
CLA. PIA. VIX
IT. ANNIS
LXXXV.
H. S. E.

XXI.

D. M. S.
M O D I A
SABINA
P. V. AN. XII
H. S. E.

XXII.

D. M. S.
INSTEIAE
DIOGENIAE
FEMINAE MERI....
INSTEIVS
TERTVLLVS. V. C.

XXIII.

GVDDEM. SAT
VRI. PARDALI
PIVS. VIXIT. A.
LXXXXIII. H. S. E.

DIS-

OCTAVII FALCONERII
DISSERTATIO
DE
NVMMO APAMENSI
DEVCALIONEI DILVVII
Typum exhibente.



DISSERTATIO DE NVMMO APAMENSI

DEVCALIONEI DILVVII Typum exhibente.

AD PETRVM SEGVINVM

S. Germani Antissiodorensis Paris. Decanum.





EXPECTATE VENIS, *Doctissime SEGVINE* (te enim veterum Nummorum, vt ita dicam, sermonis consultissimum, verbis alloquar ex ipso rei Nummariæ penu * te promente, desumptis) expectate, inquam, omnibus, quotquot in Vrbe Aeterna studio antiquitatis tenemur; mihi verò etiam exoptate, cui ad desiderium fruendi eruditione tua, atque doctrina, accedit quoque recordatio singularis tuæ erga me humanitatis; cùm ante nouennium fermè

* *In Epist. ad Trichetium, ex Nummo Carausij.*


me Lutetiam peregrinandi cupiditate ductus, à te in celebri illo Museo tuo comiter exceptus, selectissimorum Nummorum conspectu dignatus, donatus etiam eleganti illa tua de Nummo Britannico Epistola, quam paulò ante edideras; mirificè verò erga te, virtutemque tuam affectus in Vrbem me recepi. Vbi quàm altè mihi semper animo hæserit memoria tuorum in me meritorum, neminem alium testem appellabo, quàm charissimum tibi caput, quem ego ob morum suauitatem, atque insignem rerum antiquarum scientiam plurimùm colo, atque obseruo Franciscum Gottifredum: à quo discere etiam poteris, me cùm insperatum ab eo de proximo tuo Romam aduentu nuncium accepissem, præ gaudio propemodum exiluisse. Opportunè verò accidit, vt quo ferè tempore hæc ad nos de te allata sunt, inuisenti mihi, quod non raró facere soleo, Gottifredum ipsum, obtulerit ille typum pridie à te acceptum Nummi Seuero ab Apamensibus cusi, in cuius auersa parte eadem cernebantur, quæ in Nummo hoc Philippi, de cujus explicatione sum acturus, Quo de Nummo quòd tu tanquam Antiquarijs vestris ignoto, hominem, tuo, omniumque judicio, Nummorum peritissimum consulere videbaris, in mentem statim venit, occasionem optatissimam

offerri

offerri mihi, obſeruantiam erga te meam tibi Romam aduenienti publico aliquo monimento declarandi, ſi meam de præclariſſimo Philippi Numiſmate coniecturam tuis auſpicijs vulgarem, quam anno ſuperiore, Epiſtola ad Gottifredum leuiter attigeram; cujus quidem ille exemplum ad te ſtatim miſit, me licet nonnihil repugnante, quòd cenſuram tuam, ac tui ſimilium, quos acerrimi iudicij viros Lutetiæ complures eſſe ſcio, in re, quæ non ita probabilis videretur, ac ſuis etiam præſidijs, quod in tumultuaria ſcriptione aliter fieri non potuerat, deſtituta, haud immeritò reformidarem. Quod igitur antiqui moris erat, vt Cæſaribus Prouinciam aliquam adeuntibus Nummi de eorum aduentu cuderentur, tanquam publicæ gratulationis indices, faciam nunc ipſe iure priuato; téque inter Antiquarios noſtræ ætatis nemini ſecundum, tertiò jam ad Vrbem venientem, editione inſignis huius Nummi gratulabundus excipiam. Erit quoque hoc munuſculum, leuidenſæ licet, & craſso etiam filo, Xeniorum loco, quibus te Romæ hoſpitem de more proſequar: quæ ſi minus raritate, aut pretio, eò ſaltem tibi placitura non vanus fortaſse augur ſim, quòd & ad ingenium tuum facta, & nouitate ipſa nonnihil oblectamenti eo in genere, quo maximè delectaris, al-

latura

latura ſint. Accipe ergo V. Cl. quem tibi amoris, obſequijque erga te mei monumentum lubens do, ac dedico, Apamenſem hunc Nummum inſignem ſanè, ac nulli, meo quidem judicio, raritate, aut eruditæ Antiquitatis commendatione poſthabendum.



Is,vt vides,Philippi ſenioris, caput præfert, laureatum de more, atque inſcr. conſueta, niſi quod Marci prænomen omiſſum errore haud in Nummis infrequenti, AYT. K.IOYΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΥΓ. *Imp. Cæſ. Iul. Philippus Aug.* In auerſa verò nauigij genus quodpiã cernitur (quo enim alio nomine id rei appellem ignoro) tetragoni, atque aquis innatantis, in quo ſimulacra duo pectore tenus extant,virile alterũ,alterũ muliebre,cui velũ, è capite dependet. Ex ea autem,quam,ſi placet, deinceps Arcam nominabimus, prominent duo veluti tigilli erecti, quibus tranſuerſus alter innititur. Huic Columba inſidet, alteri ſimilis, quæ ramu-

ramusculum vnguibus tenens, alisque expansis non longè ab Arca volantis speciem præbet. Ante Arcam duæ itidem figuræ, quarum virilis muliebrem ponè sequitur; vtraque verò eiusdem planè vultus, atque illæ, quæ in Arca sunt, ut mecum viri harum rerum periti sentiunt. Ornamenta capitis in muliebri, eadem. Verùm in hoc differunt duæ istæ, quæ Arcam præeunt, quòd vtraque dextrum lacertum in cubitum erectum habet, quod in ijs, quæ in Arca sunt, nequaquam apparet. Inscriptionem ita lego, ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Sub M. Aur. Alexandro II. Pontif. Apamensium.* In fronte vero Arcæ hæ tres literæ non obscurè apparent, Ν,Ω,Ε. Huius sanè typi tres mihi nummos, eosque æreos maximos (*Medaglioni* vulgò) vidisse contigit. Vnum scilicet, eumque omnium integerrimum, cuius hìc ectypum exhibuimus ex celeberrimo Museo Magni Etruriæ Ducis, cuiusque mihi visendi copiam fecit pro sua singulari humanitate LEOPOLDVS Etruriæ Princeps, quem literis, bonisque artibus alendis, fouendisque natum, non modò Italia, sed Gallia etiam vestra, ac quicquid est in Europa uniuersa hominum literatorum admiratur, & prædicat. Alterum possidet PETRVS OTTOBONVS Cardi-

 nalis,

nalis, egregijs animi dotibus, insignique doctrina, atque vsu rerum præclarissimus; cui è veterum Nummorum aspectu grauissimis à laboribus solatium quærere non tam oblectamento est, quàm decori ijs, qui hac eruditionis parte delectantur, Amplissimi Ordinis ornamentum ingens sibi laudis socium habere. Tertium penes se habet AVGVSTINVS CHISIVS Farnesij Princeps, ALEXANDRI VII. PONT. MAX. fratris filius, in cuius Museo alia etiam eiusdem raritatis, ac pretij Numismata extant. Ita fato quodam accidisse videtur, vt quotquot, quantùm ego scio, illustris huius Antiquitatis monumenti exempla lucem viderunt, ijs in amplissimum locum peruenisse sorte obtigerit. Cæterùm egregiam huic Philippi Nummo lucem præbet, ac vicissim mutuatur, Seueri quem diximus, cujus typus à te ad Gottifredum missus: in quo ego quoque me tibi non leuiter obligatum sentio quòd coniecturæ meæ asserendæ tantum præsidij attuleris. Et verò non committam, vt eius aspectum eruditorum oculis inuidendo auarus nimiùm, atque adeò iniquus videar in ijs abscondendis, quorum ipse non nisi beneficio tuo particeps factus sum. Illum ergo ex tuo ectypo descriptum hìc profero,

quem

quem cum noſtro Philippi conferre, haud erit ſtudioſis, opinor, injucundum.



Eius anterior pars, vt videre eſt, Seueri caput laureatum habet cum inſcriptione vulgari, ΑΥΤ. Κ.Λ.CΕΠΤ. CΕΟΥΗΡΟC ΠΕΡΤΙ. *Imp. Cæſ. L. Sept. Seuerus Pertinax*. Auerſa, eadem, quæ in Philippi Nummo, ſi pauca excipias, quorum diuerſitas neſcio cælatori ne, an ei, qui Nummum excudit tribuenda ſit. Vereor enim, ne is ad diuerſam, qua imbutus eſſet circa explicationẽ hujus Nummi opinionem, cœlum accomodauerit. Ac primùm vehementer ſuſpicor, Arcæ quidem ſchema non aliud eſſe hìc, atque in noſtro; ſed præjudicio ſcalptoris factum eſſe, vt quæ re vera in vtroque erecta Arca fingitur, cujus vertex ſit pars ea, cui Columba inſidet; in hoc ita repræſentetur, ac ſi quicquid ſpatij intercedit à loco, vbi poſita eſt Columba, ad eum, in quo figuræ deſinunt, Arcæ ipſius longitudinem metiatur: quod verum mi-

nimè esse ex nostro manifestò patet. Qualis enim esset Arcæ hujus forma, quæ quinque lateribus constaret, verùm haud æqualibus, anterioribus verò ita in obtusum angulum coëuntibus, vt quasi in cuneum desinant? Quòd autem ille vnicum tantùm in fronte latus expresserit, illudque ad normam directum inde fortasse fieri potuit, quòd Nummo in hac parte vetustate attrito, angulum ex concursu duorum laterum, qui in nostro perspicuus satis est, minimè deprehenderit. Eò etiam refero quòd volucris, quæ ramum vnguibus tenet, ad Aquilæ speciem, aut alicujus ex Accipitrum genere, efficta sit: ex tribus enim alijs Philippi illam non aliam esse, quàm Columbam, procul dubio constat. Variat quoque hìc nonnihil schema figurarum, quæ sunt in Arca. Harum namque quæ dextrum latus obtinet, brachijs seminudis, atque ad pectus adductis apparet, altera læuum itidem brachium seminudum ostendit, neque ei velum è capite dependet, vt in nostro. Sed de his ij viderint, quibus Nummi ipsius Archetypum oculis vsurpare contigit. Insignis verò, atque eruditorum obseruatione digna inscriptio, ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ ΑΡΤΕ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Sub Agonotheta Arte. Magnetum Apamensium*. Agonothetæ quippe hìc nomen inscrip-

inſcriptum eſſe videtur, tanquam eius, à quo in Apamenſium Faſtis diſtingueretur is annus, quo Nummus iſte cuſus eſt. Cuius verò generis ſit, quidue denotet hoc loco Agonothetæ Magiſtratus, haud eſt propoſiti noſtri inueſtigare; déque re iſta opportuniùs egimus in Notis ad Inſcriptiones Athleticas, quas vulgabimus aliquando.

Iam verò, vt ad Nummum noſtrum reuertamur, quò clarius pateat, ad quam potiſſimùm ex diuerſis vrbibus, quæ Apameæ, ſeu Apamiæ nomen tulerunt, referendus ille ſit, ante omnia neceſſarium arbitror de earum numero, atque origine paulò curioſius inquirere. Sex itaque numero hujus nominis vrbes agnoſcunt Ortelius, atque ejus autoritatem ſecutus, ni fallor, Triſtanus. Ego *In Gordian. n. 19.* verò nonniſi quinque eas fuiſſe libentius crediderim, quot itidem à Stephano diuerſis in regionibus numerantur. Primo loco ſit, quæ omnium celeberrima fuiſſe videtur, Apamea Syriæ, olim Pella Macedonibus, de cuius origine, ſitu, atque agri fertilitate multa apud Strabonem. Secundum obtineat *Lib. 12.* Apamea Phrygiæ Cibotus dicta, inter Aſiaticas vrbes poſt Epheſum dignitate proxima, ad confluentes fluuiorum Marſyæ, & Mæandri poſita, ad quam pertinet inſignis ille Gordiani Nummus apud Triſtanum, aliuſ- *Tom. 2.*

que

que rariſſimus Tiberij ex Theſauro CHRISTINAE Reginæ cum inſcriptione, AΠAMEIAC ΠPOC MAIANΔPON. Atque hæ quidem duæ notiſsimæ apud Scriptores, præter quas vnam in Bithynia, alteram in Media habet Strabo, quæ illi, vt opinor, eadem, cum ea, quæ in Parthia, *apud Ragas*. Ac quantùm ſanè ad tres priores attinet, Straboni omnino conſentit Stephanus. Diuerſæ verò ſunt illi, ἡ ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ τῷ Τίγρητι περιερχομένη, *quæ in Meſene, Tigride circunfunditur*, quæque ab eodem in Perſide ponitur, Ἐδέσσης πρὸς ἄρκτους Aliæ quoque Plinio, atque alijs, vrbes Apameæ nomine, quæ ab ijs, quas adhuc nominauimus diuerſæ videri poſſint. Non ideo tamen earum numerus temere augendus; exiſtimandumque potius, Scriptores, vt aliàs ſæpe populorum, atque regionum, hìc vrbium harum nomina confudiſſe. Ac ne longius à re noſtra abeamus, Stephanus idem, ſeu potius eius Epitomator Hermolaus, illam ipſam Meſenes regionem, in qua Apameam collocat, quam rectè quidem diuiſum alueo Tigrim complecti vult, ἐν ᾗ σχίζεται ὁ Τίγρις ποταμὸς, alibi pro Meſopotamia accipit, quòd ea ſit, ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν Εὐφράτου, καὶ Τίγριδος μεσαζομένη, *à duobus fluuijs Euphrate, ac Tigri intercepta*; vt iam obſeruauit Salmaſius. Quo veriſimilius

In Exercit. Plin. pag. 698.

lius sit, Apameam, quæ ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ Stephano dicitur, eandem esse cum illa, quæ alijs in Mesopotamia ponitur. Neque verò dissimulabo Plinium, præter istam in Mesene Apameam, de qua Lib. 6. cap. 27. aliam quoque ad Euphratem, *in Zeugmate* dictam, agnoscere. Sed & ipse falli ob regionum vicinitatem potuit, aut hæc eadem fortasse esse cum ea, quam Strabo in Media ponit, vt & illa, quam Plinius Mediæ oppidum facit *Raphane* cognominata eadem videtur fuisse, quæ Straboni in Parthia est, vt Ortelio etiam placuit; atque ex eo probabilius redditur, quod narrat Strabo, Parthiam olim haud ita amplam fuisse prouinciam, sua verò ætate amplificatam additis Camisena, & Chorena regionibus, & quicquid est vsque ad Portas Caspias, & Aragos, seu *Ragas*, ac Tapyros, quæ olim Mediæ fuerant: cuius quidem rei ignoratione verisimillimum est erroris occasionem præbitam ijs, qui post Strabonem scripserunt, eandem vrbem pro duabus vsurpandi, quas crederent in diuersis regionibus positas. Atque in re simili allucinatus videtur diligens alioqui Antiquitatum Hispanicarũ scriptor Genesius Sepulueda, qui Pacem Iuliam à Pace Augusta, seu Colonia Augusta Pacensi distinguit, quas quidem vnam eamdemque vrbem esse multis aduersus ipsum ad-

Lib. 5. cap. 24.

Lib. 11.

adſtruit Andreas Reſendius, opuſculo ſingulari de Colonia Pacenſi. Quin & Strabo ipſe, attento minus lectori Apameam vnam in Parthia, alteram in Media poſuiſſe videri poſſit; cùm tamen vnam, eandemque fuiſſe, quæ *apud Ragas*, vix dubitari poſſit, vt locum vtrumque ex Lib. 11. conferenti manifeſtum erit. Quòd ſi quiſpiam Apameas à Scriptoribus aliquando confuſas minimè largiatur, ego contra, non ſex tantùm Apameas, ſed vel ſeptem, aut octo, ex diuerſis Autorum locis euincam. Nam præter celebrem illam Phrygiæ, aliam quoque cognomento Ciboton, ex Ptolemæo, & Græca Epiſcopatuum Notitia, in Piſidia oſtendam, quæ tamen in ea Prouincia nulla fuit, ſolaque Ptolemæo impoſuit regionum vicinitas, Phrygia enim, quæ Straboni παρόρειος, ſeu *pedemontana*, Piſidiæ erat contermina. Ac quod probabile minus ſit, duas in ſola Prouincia Bithynia Apameas aſſeram, alteram à Pruſia conditam, quam Strabo, Ptolemæus, Zoſimus, & alij norunt; alteram, quam Nicomedem Epiphanem condidiſſe autor eſt Stephanus, atque ex eo Euſtathius in Schol. ad Dionyſium Periégetem: quod tamen me nemini perſuaſurum probè ſcio. Illa quoque ad adſtruendum Apamearum numerum non leuis coniectura, quam mihi ſuppeditat inſignis Ap-

Lib. V. cap. 2. poſt Geograph. Sac. Caroli à S. Paulo.

Pag. 118.

Pag. 124.

pia-

piani locus in Syriacis, vbi hæc de vrbibus à Seleuco Nicatore conditis. Πόλεις δὲ ᾤκισεν ἐπὶ τὸ μῆκος τῆς ἀρχῆς ὅλης ἑκκαίδεκα μὲν Ἀντιοχείας, ἐπὶ τῷ πατρὶ, καὶ πέντ᾽ ἐπὶ τῇ μητρὶ, Λαοδικείας. ἐννέα δ᾽ ἐπωνύμους ἑαυτοῦ. τέσσαρας δ᾽ ἐπὶ ταῖς γυναιξὶ, τρεῖς Ἀπαμείας, καὶ Στρατονίκειαν μίαν. *Vrbes autem condidit per longitudinem imperij ſui, ſedecim quidem Antiochias à patre denominatas, quinque à matre Laodiceas, nouem ſibi cognomines Seleucias, quatuor ab vxoribus, tres Apameas, vnam Stratoniceam.* Nam ſi tribus his Apameis, quas Seleucum ab vxore denominaſſe Appianus memorat, vnam in Phrygia addas ab Antiocho eius filio extructam, alteram in Bithynia à Pruſia; quinque iam habebis, quot re vera extitiſſe arbitror huius nominis vrbes, quarum ſanè quatuor ab Apame Seleuci vxore, Antiochi Soteris matre, appellatæ, vna ab altera itidem Apame Pruſiæ vxore, cui fortaſſe id nominis fuit, quòd ad Apamem illam Seleuci, genus ſuum aliquo modo referret: nam propagatum Apamæ nomen in Apame Antiochi ſorore, quæ Magæ in matrimonium collocata eſt, obſeruo ex Pauſania. *In Attic.*

Proximum eſt iam, vt quoniam de Apamearum numero egimus: de earundem appellatione, atque etymo nonnihil dicamus. Mirificè enim hìc quoque variaſſe video tùm veteres Scriptores, tùm etiam nonnullos ex

recentioribus, vt infra ostendam. Apamearum porrò originationem ex Hebraica lingua duxit Salmasius, cui etiam adstipulari video virum nostra ætate eruditione celebrem. In ea enim id vocabulum, *vrbem cinctam, vel circundatam,* sonare narrat; idque ad illud referendum, quod *omnes vrbes, quæ Apameæ vocatæ sunt, inter amnes sitæ fuerint*: quemadmodum, & Gades insulam, & Gaddir Hispaniæ vrbem inter duo Bætis ostia, & mare vndique aquis circundatã, à Phœnicio vocabulo nomẽ deriuasse, quod *sepem, &* περίφραγμα, *& locum circunseptum significat*. Sed vereor ne ille hoc loco, vt aliàs sæpe, noua potius, quàm probabilia dicere voluisse videatur. Quicquid enim sit de origine ipsa, an scilicet satis hìc quadret, quando ea manifesto tot Autorum consensu ad Apamem refertur; vix credo omnes vrbes, quæ Apameæ nomen tulerunt inter amnes sitas fuisse, quod neque ex veteribus Geographis colligitur, & ipse saltem probare debuisset. Neque enim Apameam Bithyniæ, aut illam, quæ in Parthia erat interamnas fuisse produnt Scriptores: déque earum etymo alioquin adeò inter eos conuenit, vt aliam eius originem inuestigare, lucem planè sit in meridie quærere. Constat igitur Apameas omnes, ab Apamis duabus illustribus, ac regijs fœ-

In Exerc. Plin. pag. 826.

minis

minis vocitatas : ac si res subtiliùs examinanda sit, ab antiquiore illa, vxore Seleuci, à qua alteri nomen deriuatum verisimile est. Verùm & circa Apamem ipsam variè errasse Scriptores comperio. Liuius illam Seleuci sororem facit. *Migratum inde* (inquit ille) *veteribus Celænis, nouæque vrbi nomen inditum ab Apame sorore Regis Seleuci.* Vbi Salmasius libertate sanè plus quàm Decembri legit vxore, *quòd editiones malè habeant: ab Apame sorore Seleuci.* Id audacter sanè factum MSS. Codd. reclamantibus; meo autem iudicio etiam friuolè. Sicuti enim in magnorum Autorum erroribus notandis diligentiæ laudem affectare φιλοψόγου est, eiusque, in quo reuerentiam Antiquitatis desideres; ita in omnibus eorum apicibus tuendis anxiè laborare, aquam plane cribro haurire est. Nam, vt Quintiliani verbis vtar, & labuntur aliquando, & oneri cedunt: nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Familiaria verò illis huiusmodi μνημονικὰ ἁμαρτήματα qualia non modò Galenum, Maximum Tyrium, atque alios; sed disertissimum etiam Romuli nepotum admisisse aduertit H. Stephanus, ac Critici passim. In Liuio autem fatalis quodammodo videri possit huiusmodi in cognationis appellationibus incogitantia: cuius quidem illustre

Lib. 38.

Instit. Orat. Lib. 10. c. 1.

In Notis ad Aeschylum.

exemplum à nemine adhuc, quod ſciam, obſeruatum, ſuggeſsit mihi Vir longè doctiſſimus, atque eruditiſsimus Alexander Pollinus. Qui enim apud Liuium Lib. 27. ait Maſsiua, ſe orbũ à patre relictum cum *auunculo* Maſaniſſa in Hiſpaniam traiecisse; *fratris filius* à Maſaniſſa ipſo appellatur apud eundem Lib. 28. vbi hæc de Maſaniſsa. *Prope attonitus ipſo congreſſu Numida, gratias de fratris filio remiſſo* (Maſsiua) *agit*. Opportunè magis, atque ingenuè Glareanus ad eum locum, de quo ſuperiùs (miror autem inter tot viros doctos, qui in Liuio emendando, aut illuſtrando operam collocarunt illum vnum hìc vidiſſe) Romanæ Hiſtoriæ Principem, quantùm licet, excuſat; quaſi is circa huiuſmodi barbarorum nomina haud multum fuerit ſollicitus. Neque eſt cur quiſpiam Liuium tuendi anxius ipſum cum Autoribus cæteris conciliare laboret, quòd nempe Apame eadem Seleuci ſoror, atque vxor eſſe potuerit, ſolenni Ptolemæorum, atque aliorum etiam Aſiaticorum Regum more: veniendum enim illi in controuerſiam erit cum Strabone, qui Apamem Seleuci vxorem, Artabazi filiam fuiſſe prodit. Apamem quoque Liuij veſtigia ſecutus, Seleuci non vxorem, ſed ſororem fecit Triſtanus. Sed, quod mirari ſatis nequeo, Strabonem Lib. 12. tan-

Lib. 12.

In Gordian. n. 39.

12. tanquam Liuio conteſtem in ſententiam ſuam citat; qui tamen diſertè ibidem Apamem, Seleuci vxorem nominat. Strabonis verba ipſa, ne Triſtanum indicta cauſa damnaſſe videar, huc afferam. Sic igitur ille loco ſupradicto: ἐντεῦθεν δ᾽ ἀναστήσας τοὺς ἀνθρώπους ὁ Σωτὴρ Ἀντίοχος εἰς τὴν νῦν Ἀπάμειαν, τῆς μητρὸς ἐπώνυμον τὴν πόλιν ἀπέδειξεν Ἀπάμας, ἣ θυγάτηρ μὲν ἦν Ἀρταβάζου, δεδομένη δ᾽ ἐτύγχανε πρὸς γάμον Σελεύκῳ τῷ Νικάτορι. *Atque inde* (è veteribus nempe Celænis, loquitur enim de Apamea Phrygiæ) *cùm ciues transtuliſſet Antiochus Soter in eam, quæ nunc dicitur Apameam, ei à Matre Apama nomen fecit, filia Artabazi, quæ nuptum data fuerat Seleuco Nicatori.* Quod verò Plinium ſibi eadem de re teſtem aduocat cap.29. Lib. 5. perperam etiã facit: nam neque aqud Plinium loco citato verbum vllum de Apame; neque alibi illum Apamem Seleuci ſororem dixiſse puto. Quomodo enim ſibi conſtaret qui alio loco hæc habet? *Item Apamiæ, cui nomen Antiochus matris ſuæ impoſuit, Tigris circunfunditur.* Vbi notandum, Apameam ab Antiocho conditam illam dici à Plinio, quæ in Meſene, quod & Solinus credidit, ſi id verum eſt, quod ſupra innuimus, Apameam apud Tigrim non aliam re vera eſse, quàm quæ alijs Autoribus in Meſopotamia ponitur. Sed vterque

Lib.6.c.27.

falli-

fallitur, si verus est Strabo, cuius autoritatem ego sequi malim. Ea enim est Apamea Phrygiæ, vt vidimus: nisi fortè plures Antiochus Apameas, matris nomine denominatas condidit; qua tamen de re nihil, quod sciam, apud Scriptores. Diuerso tramite à vero aberrauit Stephanus, cui, Ἀπάμεια Συρίας πόλις ἀπὸ Ἀπάμης τῆς Σελεύκου μητρός. *Apamea vrbs Syriæ ab Apame Seleuci matre*: quod quàm verum sit ex Appiano, & Strabone supra citatis sanè patet. Atque hinc obiter animaduertere licet, quàm cautè huiusmodi Autores legendi sint, qui magno literarum detrimento, non ipsi αὐτοπρόσωποι nobiscum loquuntur; sed ineruditis posterioris æui Grammaticis laruam commodant, qui illos non modò in Epitomem redigendo decurtarunt, sed inficetis etiam suis glossematis corruperunt; quod, cùm Stephano, tùm Suidæ, atque alijs accidisse notarunt Viri docti. Cæterùm inter tot diuersas Apameæ nomine

Lib.3.c.32. vrbes appellatas vna Romanorum colonia

Lib. 12. fuit, Plinio, ac Strabone autoribus, Bithyniensis Apamea, vt ex Vlpiano etiam osten-

Lib. 3. de Rep. Rom. dit Panuinius. Cuius quoniam hìc mentio incidit haud sanè silentio præteribimus, quantùm circa eius appellationem pugnare inter se videantur Strabo, ac Plinius. Strabo-

Lib. 12. nis verba sunt: ἀναλαβὼν δ' ἐκεῖνος ἐκ τῶν ἐρει-

πίων

πίων ἀυτὰς, ἐπωνόμασεν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ μὲν Προυσιάδα πόλιν τὴν Κίον, τὴν δὲ Μυρλείαν Ἀπάμειαν ἀπὸ τῆς γυναικός. *Is* (Prusias scilicet) *has vrbes à ruderibus excitatas Cium, Prusiadem à se, Myrleam ab vxore, Apameam denominauit.* Apamea igitur Strabonis ætate, quæ olim Myrlea, vt alibi disertius etiam ille eodem libro. Contra Plinius loco paulò ante citato. *Deinde flumen Gebes, & intus Helgas oppidum, quæ Germanicopolis alio nomine Booscete, sicut Apamia, quæ nunc Myrlea Colophoniorum.* Anne verò eandem Bithyniæ vrbem, quæ Strabonis tempore Apamea dicta est, Plinij sæculo suum illud antiquum nomen repetijsse credibile est? Augeri suspicio possit, quòd Cium quoque vrbem, quam Prusiadem à Prusia vocatam ex Strabone audiuimus, veteri item nomine appellat Plinius eodem capite, vbi descriptionem Bithyniæ prosequitur. *Postea sinus, in quo flumen Ascanium, oppidum Bryllion, amnes Hylas, & Cios cum oppido eiusdem nominis.* Sed quomodo rursus quæ Plinio Myrlea, posterioribus temporibus Apamea appellari potuit à Zosimo, Stephano, Eustathio, in Notitia Græca Episcopatuum, in subscriptionibus Conciliorum; idque nominis tandiu constanter retinere, quod ad sua vsque tempora durasse Sophianus testatur? Credideram aliquando Plinium cum Strabo-

ne au-

ne autoritate Critica reconciliari posse, mutata, quòd ibi mendum suspicarer veteri lectione, vt vno tantùm verbo transposito legeretur: *sicut, quæ nunc Apamia, Myrlea Colophoniorum*. Sed quorsum id, si rursus committendus ille mihi foret cum Mela, quem non semel citat, ac laudat Plinius, & non pauca etiam ab ipso mutuatur? Mela siquidem ait in descriptione Bithynię, in qua nullã Apameæ mentionem facit: *Trans Rhyndacum est Dascylos, & quam Colophonij collocauere, Myrlea*: quod admiratione dignius est in eo Scriptore, qui Straboni fuit prope æqualis. Hæc profectò obscura sunt, atque ἀσύστατα; sed de ijs illustrandis, aut componendis viderint eruditi. Ego verò, vt tandem de Apameis loquendi finem faciam, addam corollarij loco, quod inobseruatum minimè videtur prætermittendum, ter à Strabone, tres diuersas huius nominis vrbes, cum tribus itidem *Laodiceis* componi (plures enim fuerunt *Laodiceæ* nomine vrbes, non vna tantùm Syriæ; vt existimasse videtur Ioannes Quintinus in Pręfatione ad Zonaram in Canones) quod quidem haud temerè fecisse accuratissimum Scriptorem verisimile est, eóque potius respexisse credendum, vt eas coniunctim nominando, ὁμόνοιαν illam, seu societatem mutuam significaret, quę inter vrbes

Lib. 1. cap. 19.

huius

huius nominis intercederet, quod ſcilicet diſertiùs tradit de Apamea, & Laodicea Syriæ quæ, ἐλέγοντο ἀδελφαὶ διὰ τὴν ὁμόνοιαν, *propter concordiam Sorores dicebantur*: quemadmodum etiam appellatas eſſe Laodiceam, & Seleuciam ex Euſtathio diſco. Huius verò appellationis originem ad id referendam cenſeo, quod cùm vrbes iſtæ ab eodem eſſent conditæ Seleuco Nicatore, ac veluti eiuſdem patris filiæ, cognomentum illud affectionis ad declarandam inter ſe mutuam ex cognatione beneuolentiam vſurparent. Neque aliàs inſolitum in antiquitate Ciuitates, ſorores appellari. Sic Vticam Carthaginis ſororem vocat Tertullianus in Lib. de Pallio; ideo fortaſſe, quòd, vt habet Mela, eſſent Vtica, & Carthago *ambæ inclytæ, ambæ à Phœnicibus conditæ*. Sic Sodoma, & Samaria ſorores Hieruſalem appellantur à Hieronymo ex Ezechielis 16. vt iam notauit Ludouicus d'Orleans in Comm. ad Tacitum. Quod verò ad OMONOIAC vocabulum illuſtrandum facit, ſolenne illud quidem in Nummis ad deſignandam inter duas, aut plures etiam vrbes fœderis ſocietatem, non dubito te olim obſeruaſſe in locupletiſſimo Gottifredi noſtri Theſauro præclaros æreos nummos maximos, in quibus illuſtrium præcipuè Ciuitatum OMONOIAN legere eſt; EΦECIΩN KAI CAPΔIANΩN. ΛΑΟΔΙ-

Lib. 16.

In Schol. ad Dionyſ. Perieg.

Lib. 1. c. 7.

11. *Annal.*

ΚΕΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ in M. Aurelio. ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕCΙΩΝ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ CΙΛΙΝΕΝΤΟC in Commodo. ΕΦΕCΙΩΝ Κ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ Κ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ in Gordiano. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ in Otacilla Seuera. Nihil autem eo verisimilius, quod ipse animaduertisti ex egregio illo tuo ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ, ad designandam ΟΜΟΝΟΙΑΝ, seu fœderis communionē apponi solitas in huiusmodi Nummis Icones Numinum, quæ in vnaquaque vrbe potissimùm colerentur. Cui sanè opinioni tuæ non parum fauent, quos & abs te apud eundem Gottifredum obseruatos puto, selecti Nummi, in quorum auersis partibus totidem Numinum Icones, quot in ijs vrbium mentio fit, non sine consilio appositas credere consentaneum est. Nam sicuti è duobus M. Aurelij, & Commodi, in quorum altero ΕΦΕCΙΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ; in altero verò CΤΡΑ. Μ. CΕΛΛΙΟΥ. ΟΜΟ. ΝΕΙΚΟΜ. CΜΥΡ. illud Dianæ Ephesiæ, & Iouis, hoc Cereris, & Cybelis Icones exhibet; ita in egregio Nummo Antonini Pij, qui CΜΥΡ. ΠΕΡΓ. ΕΦΕCΙΩΝ ΟΜΟΝ. habet, Dianam Ephesiam, Fortunam, & Aesculapium cernere est.

Ac de Apamearum historia, quòd à re no-

stra

ſtra alienum minimè videbatur, prolixiùs quidem tecum egi, VIR DOCTISSIME, non quòd noui quicquam, quodue eruditionem tuam fugeret me dicturum eſſe confiderem; ſed vt quæ ſparſim apud veteres Scriptores de ijs habentur, veluti vnico conſpectu ob oculos repræſentarem: quod & tibi haud ingratum fore ſpero; mihi verò etiam opportunum, vt tibi rem propiùs inſpicienti, meam de inſigni hoc Nummo Apameæ Syriæ tribuendo opinionem faciliùs probem, cui, ob ea, quæ infra dicturus ſum non inuitus, vt puto, accedes. Venio nunc ad Nummi ipſius explicationem, cuius quidem ſummam, vt paucis aperiam, aio in eius auerſa, quantùm coniectura aſſequi licet, decantati illius Deucalionei Cataclyſmi memoriam ab Apamenſi Monetario fuiſſe expreſſam; illud, quod nauigij genus quodpiam diximus Arcam repræſentare, cuius ope ſeruatum Deucalionem narrant fabulæ, in Arca Deucalionis ipſius, & Pyrrhæ ſimulacra extare. Deucalionis ſanè Cataclyſmus notiſſima res eſt, ſi quæ vlla, apud Mythologos atque earum celeberrima, quas è Sacris Biblijs depromptas, ac veluti per manus traditas ab hominum memoria, conſtanter retinuit Antiquitas. Verùm ita fabularum inuolucris laruata veritas, vt in Noëmico potius Diluuio Deucalionei originem;

quàm in Deucalioneo Noëmici hiſtoriam liceat agnoſcere. Mirificè quippe, vt eſt fabularum inconſtantia, Diluuij huius cauſſas, tempus, modum, confuderunt Veteres; vt etiam non ſemel, quod re vera accidit, ſed ter aquis demerſum Orbem terrarum crederent: vt omittam quæ de Deucalione ipſo, quem non vnicum tantùm, ſed triplicem eſſe voluerunt, déque ratione, & loco, quo ille primùm ex aquis emerſerit, perperam commenti ſunt: quæ hìc referre longum, ac ſuperuacaneum eſſet. Non adeò tamen illi, in tenebris licèt poſiti, cæcutierunt, vt veſtigia nulla veritatis, quam ex ipſis Sacris literis, aut ex antiquiſſimorum Scriptorum monimentis ſunt mutuati, in eorum fabulis ſit deprehendere; liceatque de ijs illud vſurpare, quod de Poëtarum filijs Lactantius, illos non omninò mentiri ſolitos, ſed figuris inuoluere, & obſcurare quæ dicerent. Sic vt Noë Arcam Moſes, ipſi Deucalioni κιβωτὸν, aut λάρνακα tribuerunt; vnde Larnaſſus, Stephano teſte, vetuſtis illis temporibus, dictus, διὰ τὸ τὴν Δευκαλίωνος λάρνακα αὐτόθι προσενεχθῆναι, qui poſtea vnius literæ mutatione Parnaſſus Theſſaliæ mons; quò, vt ad Armeniæ montes delatam aquis Noë Arcam habetur in Veteri Teſtamento, ipſi quoque appulſam Deucalionis Arcam crediderunt. Sic columbæ miſ-

De orig. Error. Lib. 2.

ſionem,

ſionem, vt de Noë legimus, Deucalioni aquarum è facie terræ dilabentium indicio fuiſse ab ijs traditum. Porrò Deucalionei Cataclyſmi, atque Arcæ etiam, in qua illum ſeruatum fama fuit, innumeros planè Autores meminiſse nemo, vel leuiter eruditus, ignorat, Mythologos præſertim, ac Poëtas; quos inter, Chriſtianum hominē, Chriſtianæ etiam Poëſeos ſacris initiatum Nonnum, non puduit exploſam iam fabulam recoquere his grandiloquis verſibus, quibus poſt deſcriptum Ogygium Diluuium, hæc de Deucalioneo. *Dionyſ. Lib. 3.*

Δεύτερος ὄμβρος ἔην, ὅτε κυκλάδος ἄντυγα
 γαίης.
Χεύματι λυσσήεντι κατέκρυφε δύσνιφον ὕδωρ,
Δευκαλίων ὅτε μοῦνος ὁμόστολος ἥλικι Πύῤῥῃ
Ὀλλυμένων μερόπων ἐνὶ λάρνακι κοιλάδι τέμνων,
Χεῦμα παλινδίνητον ἀτεκμάρτου νιφετοῖο
Ἠέρος ὑδατόεντος ἕλιξ πορθμεύετο ναύτης.

Altera pluuia erat, cùm circularis ambitum terræ
Fluctu inſano abſcondebat infeliciter ningens
 aqua,
Deucalion cùm ſolus comes cum coæua Pyrrha
Pereuntium hominum in caua arca ſecans
Fluctum reuolutum immenſæ pluuiæ
Aëris aquoſi in gyrum traijciebatur nauta.

Vbi ſanè cur λάρνακα, *nauim* Lubinus verterit neſcio; cùm λάρναξ *Arca* ſit paſſim Græ-

cis Scriptoribus. Omnium verò maximè, fabulosum hunc Cataclysmum, ad Noëmici exemplum expressit Lucianus in Syntagmate de Dea Syria. Locum integrum, quando id res ipsa postulare videtur, huc afferre non verebor. Post Diluuij igitur compendiosam narrationem, hæc ille de Deucalione. Δευκαλίων δὲ, μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέρην, εὐβουλίης τε, καὶ τοῦ εὐσεβέος εἵνεκα. ἡ δέ οἱ σωτηρίη ἥδε ἐγένετο. λάρνακα μεγάλην, τὴν αὐτὸς εἶχε, ἐς ταύτην ἐσβιβάσας παῖδάς τε, καὶ γυναῖκας ἑωυτοῦ ἐσέβη. ἐσβαίνοντι δέ οἱ ἀπίκοντο σύες, καὶ ἵπποι, καὶ λεόντων γένεα, καὶ ὄφιες, καὶ ἄλλα, ὁκόσα ἐν γῇ νέμονται πάντα ἐς ζεύγεα. ὁ δὲ, πάντα ἐδέκετο, καί μιν οὐκ ἐσίνοντο, ἀλλά σφισι μεγάλη διόθεν φιλίη ἐγένετο. καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσαν, ἔστε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. *Deucalion autem solus hominum relictus est in secundam generationem, prudentiæ, & pietatis gratia. Seruatus autem fuit hoc pacto. Magnam quandam arcam, quam ipse habebat, liberis, & vxore in eam impositis, conscendit. Ingredientem sequuti sunt apri, equi, leones, serpentes, & alia quæcunque in terra pascuntur, bina cuncta. Quæ omnia excepit: nec ipsum lædebant; sed magna inter eos diuinitus erat concordia, vnaque in arca omnes nauigarunt quandiu aqua superauit.* Constat itaque (nam hæc de Deucalione à Græcis accepisse fatetur Lucianus) ad Noëmicæ

illius

illius Arcæ imitationem, Deucalionis κιβωτὸν, ſeu λάρνακα effinxiſſe veteres fabulatores. Quod idcirco dixiſſe volui, ne quiſpiam contra quàm in Nummo noſtro apparet, non arca, ſed cymba potiùs, aut quouis alio nauigij genere ſeruatum, opinione Veterum Deucalionem opponat, fretus Ouidij autoritate, apud quem hæc de Deucalionis ad Parnaſſum appulſu legere eſt.

Hìc, vbi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum conſorte tori parua rate vectus adhæſit
Corycidas nymphas, & numina montis adorat.

Aut Iuuenalis, cuius ſunt hi verſus. *Sat. I.*

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Nauigio montem aſcendit, ſorteſque popoſcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia ſaxa.

A quibus ſanè ob eam, qua Poëtarum iure vtuntur quidlibet audendi poteſtate, non exacta admodum expectanda eſt in rerum antiquarum narratione diligentia, aut fides. In noſtro verò Nummo, quantum in re tali fieri potuit Arca non dubiè expreſſa. Nam vix aliud apud veteres etiam eſſe potuit, κιβωτȣ, ſeu Arcæ ſchema, quàm quadrilaterum, quale huius fuiſſe ex duobus, quæ apparent lateribus videtur: potiſſimum enim eius vſum fuiſſe recondendis veſtimentis docet nos Ariſtophanis Scholiaſtes, quo autore, κίϛη *Ciſta*, ac κιβωτὸς, *Arca*, in eo præcipuè differunt, ὅτι *In Equit.*

ἡ μὲν, εἰς ὑποδοχὴν ἐστιν ἐδεσμάτων. ἡ δὲ, ἱματίων, καὶ χρυσοῦ ἡ κυβωτός. *Quod cista edulijs condendis; arca vestimentis, atque auro seruando est.* In eo autem ista à vulgaribus differt forma; quod altius assurgit, ac veluti camerata est. Ac tres illi, vt apparent, tigilli, erecti duo, transuersus alter, Arcæ ipsius, meo iudicio, orthographiam designant; quod necesse erat ad exhibendam interiorem eius partem, vbi Deucalionis, & Pyrrhæ collocanda simulacra erant: vt non ab re prorsus Arcam nostram, θυριδωτὴν, *fenestratam*, vt eam cuius mentio apud Pollucem appellare liceat. Iam verò exhibita inferius aquarum species, quibus innatantem Arcam cernere est, annon coniecturæ nostræ ita suffragatur, vt vel ex hoc vno eam æquis lectoribus me probasse iure possim contendere? Verùm nulla repræsentati hìc Deucalionei Cataclysmi illustrior nota, quàm binæ illæ Columbæ, quarum altera Arcæ vertici insidet, altera oleæ ramum, vt tua etiam, atque aliorum fert opinio, vnguibus tenens, Arcam versùs volatu ferri videtur. Quo nihil appositè magis fieri poterat ad exprimendam, seu verius ob oculos ponendam duplicem Columbæ missionem à Deucalione factam, quam in hunc modum refert Plutarchus. Οἱ μὲν οὖν μυθολόγοι τῷ Δευκαλίωνί φασι περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιε-

Lib. 10. *cap.* 31.

De Solert. Animal.

ἀφιεμένην, δήλωμα γενέσθαι χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δ' ἀποπτάσης. *Sanè qui fabulas narrant, ij columbam aiunt ex arca emissam, Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis; cùm rursus ingrederetur: serenitatis cùm auolasset.* Illud namque à columba supra Arcam quiescente significatur; hoc à referente ramum, qui dilabentium aquarum indicio fuit. Cæterùm simulacra, quæ in Arca sunt Deucalionis, & Pyrrhæ esse, adeò post ea, quæ diximus, res ipsa clamare videtur, vt vix monitore, ne dum interprete, opus sit. Illud potiùs animaduersione dignum, quorsum pertineant vtriusque extra Arcam Icones. Quando autem etiam hariolari in re obscura licet, coniecturam, seu verius suspicionem de ipsis meam proponere minus verebor, Deucalionem scilicet, ac Pyrrham nihil aliud fortasse hoc loco agere, quàm ex Themidis oraculo magnæ parentis post tergum ossa iactare; vt cum Ouidio loquar. Certè figurarum gestus is est, vt non malè ei tribui possit, qui aliquid post tergum proiecturus sit, in Nummo præsertim, qui non ita peritum, ac diligentem artificem sortitus fuerit. Adde, quod prætermittendum minimè est, velatum Pyrrhæ caput, vt in ijs Themidis præcipitur apud Ouidium.

Et velate caput, cinctasque resoluite vestes,

Metamorph. 1. *Ossaque post tergum magnæ iactate parentis.*

Quod tamen in Deucalione minimè obseruatum, ac contrarium etiam in Pyrrha, quantùm ad vestem discinctam attinet, vltro fateor. Sed meminerint ij, quibus hæc minùs arriserint, me Dauum hìc, non Oedipum agere.

Iam verò hoc loco, si vnquam alibi, patrocinio tuo mihi opus est, VIR DOCTISSIME, quando rem planè incredibilem, atque ab Antiquarijs vix sine risu audiendam cogor proponere; inscriptum nempe in Arcæ fronte NΩE nomen. Ac primùm ego te hìc testem appello, qui in re Nummaria

. . . . tàm cernis acutùm,
Quàm, aut Aquila, aut serpens Epidaurius

quamuis vbi res ipsa loquitur, vix vllum testibus locum relictum esse videatur. Vidisti ipse non sine admiratione in eius, quem hìc excusum exhibemus Archetypo literas tres, N, Ω, E, in illo verò, qui est Ottoboni Cardinalis non obscurè primam N. nam in Chisio literæ æuo prorsus deletæ. Vidit eos ipsos Nummos Antiquariorum solertissimus, cuiusque iudicio nemo non acquiescat, Franciscus Gottifredus. Viderunt alij etiam Viri cordati, atque eruditi, quorum nomina, ne

hìc

hìc iudicium inſtruere videar, conſultò reticeo. Neque eſt cur vereatur aliquis, quòd aliter ſit in Nummo Seueri, (in quo Pariſienſis ectypi fidem ſequi cogor) ne hæ tres literæ integri vocabuli pars ſint, cuius reliqua in altero Arcæ latere, vetuſtate fortaſſe attrita minimè deprehenderim; illudque fortaſſe ſit, quod, βουστροφηδὸν, ſeu ſiniſtrorſum, legi debeat, ΝΩΕΜΑΠΑ, pro ΑΠΑΜΕΩΝ. Nam, præterquam quòd literæ E, & N, vt nunc ſunt, peruersè ad eam ſcripturam eſſent collocatæ; viderint quibus hæc ſuſpicio occurrat, num id, quod in fronte Arcæ ſupereſt ſpatij, quatuor, vt opus eſſet, integras literas, ΑΠΑΜ capiat: diſcantque interim à me, teſtimonio tuo, atque aliorum, qui Nummum à me ſuper hac re conſulti inſpexerunt, in altera Arcæ parte nihil minus, quàm literæ alicuius veſtigia apparere. Hæc de re ipſa præfati, illos, qui in Diſſertatione noſtra hunc Nummum inſpecturi ſunt, tantiſper iudicium ſuſtineant rogamus, dum, quod ſpero conſequemur, nos hìc nõ omninò fruſtra fuiſſe oſtẽdamus. Neque vero ipſi, pro ſua eruditione, atque doctrina, negabunt, opinor, quod ex Chriſtianis Autoribus, qui aduerſus Gentes ſcripſerunt manifeſtum eſt, Barbaros, atque ipſos etiam Græcos plurima ex Iudaicis Antiquitatibus, éque ipſis Sacris Biblijs tranſtuliſſe

lisse ad superstitiones suas, ac sacra, colore veluti aliquo religionis, aut consensu saltem antiquitatis commendanda. Mitto, existimasse Clementem Alexandrinum, Numam Romanorum Regem, illum Mosis è scriptis fructum cæpisse, vt Romanos à Dei simulacro, vel in hominis, vel in cuiusquam animantis speciem fingendo auerteret. Mitto etiam, quod, ex eodem Clemente, Aristobulum Peripateticum sensisse video, Platonem Hebræorum leges, atque instituta curiosè, diligenterque inuestigasse, ac planè excussisse: Numenium Philosophum itidem apud Clementem, nihil aliud Platonem esse contendere, quàm Mosem Attica lingua loquentem. Atque, vt propiùs in rem nostram descendam, quæ de Gigantibus commenti sunt veteres Mythologi, non aliunde originem duxisse, quàm ex ijs, qui ex Angelorum Dei cum filiabus hominum concubitu nati sunt filij, haud obscurè innuit Iosephus. De Turris autem Babylonicæ ædificatione non solùm disertum Sibyllæ testimonium profert Iosephus idem; sed Abydeni etiam, atque Eupolemi antiquorum Scriptorum, ex Alexandro Polyhistore Eusebius. Verùm hæc trita quidem, ac vulgò passim obuia. Illa non item, quæ de rebus è Sacra Historia ad Gentium Mythologiam traductis animaduerterunt

Lib. 1. Strom.

Lib. 1. Antiquit. cap. 4

Ibid. 5.

Præpar. Euangel. Lib. IX. c. 14.

ſunt Viri docti. Nam in vno Baccho, mirum quot quantáque ad Moſaicorum geſtorum ſimilitudinem conficta in Veterum monimentis deprehenderunt. Ipſum nempe in Aegypto natum, ſtatimque arcæ incluſum, atque in aquas proiectum. Ad hæc, aquam ab ipſo, percuſsa thyrſo petra, eductam, flumina itidem thyrſi ope exſiccata, ac traiecta; quodque animaduerſione dignius, ab Autore Hymnorum, qui Orphei nomine circunferuntur, Bacchum, & Μίσην, pro *Moſe*, & θεσμοφόρον, *legiferum* fuiſse appellatum, & bifidas etiam in vertice comas habuiſse; quemadmodum & Moſes, vulgo corniger: ne quid dicam de baculo hederaceo à Baccha in ſerpentem verſo, déque offuſis apud Indos tenebris, dum Bacchæ interim luce fruerentur; quæ ſanè non niſi ex Antiquioribus Mythologis Nonnus in Dionyſiaca tranſtulit. Inſignia quoque ſunt ad hunc locum quæ habet Pauſanias, Eurypilum, cùm Arcam Libero ſacram recluſiſset, in qua eius ſimulacrum aſseruabatur, eo viſo ſtatim mente excidiſse: quod ex illo Samuelis eſt 6. 19. vbi Betſemitas à Deo percuſsos legitur, quòd in Arcam introſpicere auſi eſsent. Omnino verò ad plagam à Philiſthinis in Hæmorrhoidibus acceptam ob Arcam neglectam illa expreſsa ſunt, quæ de Phallos Baccho dedicandi ori-

In Acharnen. gine è fabulis deprompta venditat Aristophanis Scholiastes, Athenienses ob spreta Bacchi mysteria in pudendis morbo correptos, non antea ab eo conualuisse, quàm Phallos, hoc est illarum partium Icones, in quibus Numinis iram experti fuerant, ipsi sacrassent. Sed & illustria Veteris Testamenti nomina profanis diuersarũ gentiũ Scriptoribus innotuisse nemo sanè ignorare potest, qui præter vulgata illa de Mose apud Diodorũ, Tacitum, Iustinum, aliosque, nonum Eusebij librum de Præparatione Euangelica legerit, in quo ille, cùm de Abrahami rebus gestis Hecatæum iustum volumen scripsisse tradit; tùm verò, Iacobi, Iosephi, Iobi, Dauidis, Salomonis, Ieremiæ Prophetæ mentionem fieri apud antiquos Scriptores, Berosum, Demetrium, Aristæam, Artapanum, Theodotum, Eupolemum, Alexandrum Polyhistorem, Nicolaum Damascenum, Melonem, Philonem, Abydenum, Megasthenem, ex eorundem monimentis ostendit. Generatim verò Antiquitatum Hebraicarum vestigia extare in Syrorum, Chaldæorum, Phœnicum Historijs, refert Iosephus: quarum *Lib. 1. adu. Appion.* Historiarum autores nominat, Theophilum, Theodotum, Mnaseam, Aristophanem, Hermogenem, Euhemerum, Cononem, ac Zopyrionem. Iam verò Noëmici Diluuij,

uij, Noëque ipſius, Arcæ ligneæ beneficio ſeruati meminiſſe præter Beroſum, Hieronymum quoque Aegyptium, ac Nicolaum Damaſcenum teſtatur Ioſephus idem. Quin vt Diluuium Noë Medis, & Aſſyrijs Scriptoribus haud ignotum fuiſſe probet, profert Euſebius luculentum Abydeni teſtimonium, quod, quandoquidem lepidam ob aniles aſſutas fabulas Diluuij narrationem continet, huc adſcribere non abs re futurum exiſtimo.

Antiquit. Lib. I. c. 4.

Præpar. Euangel. Lib. IX. c. 12.

Μεθ' ὃν ἄλλοι τε ἦρξαν, καὶ Σείσιθρος ᾧ δὴ Κρόνος προσημαίνει μὲν ἔσεσθαι πλῆθος ὄμβρων Δεσίου πέμπτῃ ἐπὶ δέκα, κελεύει δὲ πᾶν ὅτι γραμμάτων ἦν ἐχόμενον, ἐν Ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάροισιν ἀποκρύψαι. Σείσιθρος δὲ ταῦτα ἐπιτελέα ποιήσας, εὐθέως ἐπ' Ἀρμενίης ἀνάπλεε, καὶ παραυτίκα μιν κατελάμβανε τὰ ἐκ Θεοῦ. τρίτῃ δὲ ἡμέρῃ ἐπείτε ὧν ἐκόπασε, μετῄει τῶν ὀρνίθων πεῖραν ποιεύμενος, εἴκου γῆν ἴδοιεν τοῦ ὕδατος ἐκδῦσαν, αἱ δὲ ἐκδεχομένου σφέας πελάγεος ἀχανέος, ἀπορέουσαι ὅκῃ καθορμήσονται, παρὰ τὸν Σείσιθρον ὀπίσω κομίζονται, καὶ ἐπ' αὐτῇσιν ἕτεραι, ὡς δὲ τῇσι τρίτῃσιν εὐτύχεεν, ἀπίκοντο γὰρ δὴ πηλοῦ κατάπλεοι τοὺς ταρσούς θεοί μιν ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζουσι. Τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίῃ περίαπτα ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖσιν ἐπιχωρίοισι παρείχετο. *Huic tum alij plerique, cum etiam Siſithrus in Imperio ſucceſſit, cui cùm Saturnus imbrium vim maximam decimoquinto menſis Deſij fore prædixiſſet,*

xiſſet, & quicquid literis comprehenſum erat, id totum apud Heliopolim Sipparorum occultari, ſeponique iuſſiſſet, & is Dei mandatis obſequutus continuò nauigationem Armenios versùs inſtituit, in qua repentino diuinæ prædictionis euentu occupatur. Tertio autem die, quàm tempeſtas remitti cæperat, aues emittit explorandi gratia ſicubi terram vndis emerſam, atque exiſtentem viderent. Quæ cùm immenſum in pelagus incidiſſent, nec quò ſuccederent omnino quicquam occurreret, ad Siſithrum denuo reuolarunt, aliæque poſtea ſimiliter emiſſæ. At cùm tertiò idem feciſſet, votique compos euaſiſſet (quippe volucres alis limo plenis redierant) illico Deorum numine, hominum ſocietati, oculiſque ſubducitur; nauigium autem ad Armeniam appulſum, Amuleta ſuis è lignis confecta, quæ de collo ſuſpenſa geſtarent, indigenis ſuppeditauit. Nonne vides hìc, VIR ERVDITISSIME, Moſaicæ veritatis manifeſta veſtigia in iis, quæ noſter de auium miſſione, ac reditu, déque Arcæ, cuius ille loco, vt Beroſus quoque, nauigium finxit, ad Armeniæ montes appulſu? vt meritò Siſithrum hunc eundem cum Noë fuiſſe, ita fortaſſe Aſſyrio vocabulo appellatum crediderit qui hunc ipſum Abydeni locum profert in libris aduerſus Iulianum Cyrillus Alexandrinus. Nonne egregia inſerta commenta de prænunciato à Saturno Diluuij die, datiſque Siſithro man-

mandatis de recondendis in Vrbe Heliopoli literarum monimentis? Obſeruatu etiam digna mihi videntur, quæ de amuletis è ligno Arcæ ab Armenijs ſibi comparatis refert, quod etiam de bitumine ab ea abraſo narrat Beroſus apud Ioſephum. Diluuij item hiſtoriam, licet haud adeò prolixam legere eſt apud Euſebium, ex Melone in Opere aduerſus Iudæos: Κατὰ τὸν κατακλυσμὸν (inquit ille) ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ἀπελθεῖν τὸν περιλειφθέντα ἄνθρωπον μετὰ τῶν υἱῶν ἐκ τῶν ἰδίων ἐξελαυνόμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. διανύσαντα δὲ τὴν μεταξὺ χώραν ἐλθεῖν εἰς τὴν ὀρεινὴν τῆς Συρίας οὖσαν ἔρημον. *Virum quendam, qui cum filijs diluuium effugerat ab indigenis Armenia pulſum, ædibuſque, ac poſſeſſionibus eiectum ſuis, intermediã regionem tranſgreſſum, in deſertos Syriæ montes ſeceſsiſſe.* Vbi animaduertas velim quæ de homine illo ignoto ex Armenia profugo, atque in Syriam montanam, eamque incultam, ac inhabitatam ſe recipiente hìc narrantur. Illa enim non contemnendæ ſuſpicioni aditum patefaciunt, ex hac recepta apud Syros opinione inualuiſſe poſtmodum, fabulis ſubinde irrepentibus, tam magnam Diluuij memoriam, quantam ex Luciano inferius videbimus; idque aut ob rei ipſius magnitudinem, aut quòd eam fortaſſe Syriæ partem, quæ deſerta hìc dicitur ab eo primùm excultam,

Lib. 1. Antiquit. cap. 4.

Præpar. Euangel. L. 9. c. 19.

tam, aut insigni aliquo huiusmodi beneficio affectam crederent eius regionis incolæ. Illum vero non alium fuisse, quàm Noë, Syrus Scriptor credidit Nicolaus Damascenus. Eius de hac re verba ex libro XCVI. hæc extãt apud Iosephũ. *Lib. I. Antiquit. cap. 4* Ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι. γένοιτο δ' ἂν οὗτος ὅντινα καὶ Μωϋσῆς ἀνέγραψεν ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης. *Est super regionem Minyarum magnus mons in Armenia, nomine Baris, in quo multos profugos Diluuij tempore seruatos ferunt, & quendam arca vectum in huius vertice hæsisse, ac reliquias lignorum eius longo tempore durauisse; qui fortasse is fuit, de quo etiam Moses scribit Iudæorum legislator.* Quod verò hìc Nicolaus Damascenus tradit, reliquias lignorum Arcæ diu perdurasse, mirificè facit ad illa Chrysostomi, *To. 6. Edit. Sauil. pag. 748.* Oratione de Perfecta Charitate. Οὐχὶ (ait ille) καὶ τὰ ὄρη μαρτυρεῖ τῆς Ἀρμενίας, ἔνθα ἡ κιβωτὸς ἱδρύθη; οὐχὶ καὶ τὰ λείψανα αὐτῆς ἕως νῦν ἐκεῖ σώζεται πρὸς ἡμετέραν ὑπόμνησιν; *Nonne etiamnum* (Diluuium) *Armeniæ Montes testantur, vbi constitit Arca? nonne hodièque ibi seruantur eius reliquiæ ad nostram commonefactionem?* Eadem ante Chrysostomum de

Arcæ

Arcæ reliquijs testatus est his verbis Theophilus Antiochenus in libris ad Autolycum, Lib. 3. si modò is eius operis autor est. Ἧς κιβωτοῦ τὰ λείψανα μέχρι τοῦ δεῦρο δείκνυται εἶναι ἐν τοῖς Ἀραβικοῖς ὄρεσιν, *Arcæ huius reliquiæ adhuc durare perhibentur in Montibus Arabicis*, seu verius, *Armenijs*, vt apud Theophilum reponendum censuit Bochartius. *In Geograph. Sacr.*

Hæc sanè ad ostendendam non absurdam in Nummo hoc nostro inscriptionem Noëmici nominis apud æquos lectores sufficere videantur. Ex ijs namque verisimile fit obscuram, confusamque fabulis Noë ipsius notitiam, aut certè famam in Syria obtinere potuisse, seu ob Armeniæ prouinciæ vicinitatem, in quam vel Syrorum Scriptorum testimonio delatum Arca Noë Syri haud ignorarunt; siue quòd Noë, tanquam alicuius magni nominis viri apud eos memoria inualuisset: quemadmodum (vt in re haud dissimili non alieno exemplo vtar) *inter optimos, electos, & animas sanctiores* CHRISTVM; atque Abrahamum censuit Alexander Seuerus, atque vtriusque effigiem in Larario habuit, teste Lampridio in eius Vita. Quæ quidem Noë fama eò facilius apud Syros disseminari potuit; quòd Syria vniuersa (vt est apud Iosephum) à Dauide, victo Damascenorum Rege Adado, in ditionem suam re- *Antiquit. Lib. 1. c. 4.*

 dacta,

dacta, vectigalique reddita, consentaneum, immo planè necessarium fuit, in deuictam gentem vnà cum imperio, Hebraicarum quoque rerum notitiam propagatam. Cuius etiam rei argumento esse possit insita, vt vidimus, animo Syri Imperatoris, Abrahami sacra quædam, vt cum Quintiliano loquar, memoria, quam ille, vt par est credere, à maioribus acceptam coluit. Nam & Abrahamum Damasci regnasse tradit Nicolaus Damascenus, eiusque nomen sua etiam ætate celebre fuisse apud Damascenos, apud quos & vicum ostendi, quem vocarent Abrahami Domicilium. Ac, quod obiter obseruo, Alexandrum Seuerum erga ritus Iudaicos procliuem fuisse, ex eo haud perperam fortasse quispiam conijciat, quod is, vt est apud Lampridium, ab Antiochensibus, atque Alexandrinis conuicij loco, *Archisynagogus* fuerit appellatus. Archisynagogi quippe Sacerdotium, proprium, ac peculiare Iudæorum habitum fuisse, haud dubiè colligitur ex Epistola Hadriani ad Phlegontē apud Vopiscum in Saturnino, in qua hæc ille. *Nemo illic* (de Aegypto loquitur) *Archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non haruspex, non aliptes.* Hæc, inquam, omnia ad coniecturam nostram fulciendam suffectura videantur apud eos,

qui

qui faciliori ingenio sunt. Verùm vt seuerioribus etiam, atque emunctioris naris satis, vt possumus, faciamus, addemus quæ circa Noë, ac Deucalionis nominum analogiam, atque, vt ita dicam, synonymiam grauissimos Scriptores tradidisse cóperimus. Primus coniecturæ nostræ autoritaté faciat, qui Christianam Religionem non tam eloquentia, atque doctrina, quàm sanguine tutatus est Iustinus. Ὅθεν (inquit ille ad gentes) καὶ ἐπιμένει ὁ Θεὸς τὴν σύγχυσιν, καὶ κατάλυσιν τοῦ παντὸς κόσμου μὴ ποιῆσαι, ἵνα καὶ οἱ φαῦλοι ἄγγελοι, καὶ δαίμονες, καὶ ἄνθρωποι μηκέτι ὦσι, διὰ τὸ σπέρμα τῶν Χριστιανῶν, ὃ γινώσκει ἐν τῇ φύσει ὅτι αἴτιόν ἐστιν. ἐπεὶ εἰ μὴ τοῦτο ἦν, οὐκ ἂν οὐδὲ ὑμῖν ταῦτα ἔτι ποιεῖν, καὶ ἐνεργεῖσθαι ὑπὸ τῶν φαύλων δαιμόνων δυνατὸν ἦν, ἀλλὰ τὸ πῦρ τὸ τῆς κρίσεως κατελθὸν, ἀνέδην πάντα διέκρινεν, ὡς καὶ πρότερος ὁ κατακλυσμὸς μηδένα λιπὼν, ἀλλ' ἢ τὸν μόνον σὺν τοῖς ἰδίοις παρ' ἡμῖν καλούμενον Νῶε, παρ' ὑμῖν δὲ Δευκαλίωνα. *Apolog. 1.*

Quocirca Deus confusionem, & interitum totius mundi, per quem mali angeli, & dæmones, & homines non amplius extent, fieri nondum permittit, propter semen Christianorum, quod naturæ rerum caussam esse nouit. Absque eo enim si esset, fieri haud quaquam posset, vt vos adhuc ista faceretis, & à prauis dæmonijs ita agitaremini; verum descendens iudicij ignis omnia propalam dijudicaret: sicut antea quoque diluuium neminem reliquum

liquum faciens, præter vnum cum suis, apud nos cognominatum Noë, apud vos autem Deucalionem. Iustinum excipiat Hebraicarum rerum peritissimus Philo, quem ita disserentem audire, operæ pretium est. Ἠξίωσε γὰρ ὁ ποιητὴς τὸν αὐτὸν καὶ τέλος γενέσθαι τῆς κατακρίτου γενεᾶς, καὶ ἀρχὴν τῆς ἀνυπαιτίου, διδάσκων τοὺς ἀπρονόητον εἶναι τὸν κόσμον λέγοντας ἔργοις, οὐ ῥήμασιν, ὅτι καθ' ὃν εἰσηγήσατο νόμον ἐν τῇ φύσει τῶν ὅλων, αἱ σύμπασαι μυριάδες ἀνθρώπων μετ' ἀδικίας, ἑνὸς ἀνδρὸς οὐκ ἄξιαι, δικαιοσύνῃ συμβιοῦντος. Τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσιν, ἐφ' οὗ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν συνέβη γενέσθαι. *Voluit enim conditor rerum omnium, vt idem homo, & damnati generis esset finis, & initium innoxij, eos qui negant prouidentiam docens rebus magis, quàm verbis, quòd iuxta legem naturæ, se autore, proditam, innumerabiles mortales iniusti, indigni sunt qui cũ vno homine cum iustitia viuẽte, conferãtur. Hunc Græci Deucalionem, Chaldæi Noë nominant, cuius ætate ingẽs diluuiũ accidit.* Noë nomen Chaldaicæ linguæ vocabulum disertè tradit hìc Philo, quod sanè notandum; nam & hoc facit ad id astruendum, quod paulò ante dicebamus, de verisimili apud Syros huius nominis notitia. Sed omnium apertissimè mihi suffragatur, quem iam citauimus, Theophilus Antiochenus, cuius in libris ad Autolycum disertum est de hac re testimo-

In Lib. de Præm. & Pæn.

Lib. 3.

ſtimonium. Νῶε καταγγέλλων τοῖς ἀνθρώποις μέλλειν κατακλυσμὸν ἔσεσθαι, προεφήτευσεν αὐτοῖς, λέγων, δεῦτε, καλεῖ ὑμᾶς ὁ Θεὸς εἰς μετάνοιαν. διὸ οἰκείως Δευκαλίων ἐκλήθη. *Noë mortalibus diluuium prædixit hortans. Venite, Deus ad pœnitentiam vos vocat. Inde propriè Deucalion* ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *ideſt vocando dictus eſt.* Vbi Græcorum morem non obſcurè agnoſcere licet, peregrina nomina in notiora, ac Græcis auribus accomodatiora commutandi, quẽ quidem, tanquam ipſorum proprium Ioſephus olim animaduertit: poſt narratam enim poſterorum Noë per vniuerſum terrarum Orbem diſperſionem, hæc ſubdit. Καὶ τῶν ἐθνῶν ἔνια μὲν διασώζει τὰς ὑπὸ τῶν κτισάντων κειμένας προσηγορίας· ἔνια δὲ καὶ μετέβαλον. ἃ δὲ πρὸς τὸ σαφέστερον εἶναι δοκοῦν τοῖς παροικοῦσι τροπὴν ἔλαβον. Ἕλληνες δ' εἰσὶν οἱ τούτου καταστάντες αἴτιοι. ἰσχύσαντες γὰρ ἐν τοῖς ὕστερον ἰδίαν ἐποιήσαντο, καὶ τὴν πάλαι δόξαν, καλλωπίσαντες τὰ ἔθνη τοῖς ὀνόμασι πρὸς τὸ συνετὸν, αὐτοῖς, καὶ κόσμον θέμενοι πολιτείας ὡς αὖ ἀφ' αὐτῶν γεγονόσιν. *Porrò gentium quædam adhuc ſeruant deriuatam à ſuis conditoribus appellationem, quædam etiam mutauerunt; nonnullæ in familiarem accolis, & notiorem vocem ſunt verſæ, Græcis potiſsimum talis nomenclaturæ autoribus. Hi enim poſterioribus ſæculis veterem locorum gloriam ſibi vſurpauerunt, dum gen-*

Lib. I. Antiquit. cap. 6.

tes

tes nominibus sibi notis insigniunt, dumque tanquam ad suum ius attinerent, mores quoque proprios in illas inuehunt. Quod verò in gentium, ac populorum appellationibus fieri solitum à Græcis narrat Iosephus, id quoque in nominibus proprijs personarum, illustrium præsertim, ab ijsdem factitatum probabile est. Atque hæc quidem de inscripto in Nummo hoc nostro Apamensi Noë nomine, quo de maluimus minus fortasse cuipiam probabiliter, quàm nihil omnino dicere: quod sanè fieri sine nota, in re adeò singulari, atque in Nummis hactenus inaudita vix potuisset. Cæterùm de eo statuere cur illud in frõte Arcæ positum, atque vtrumne, quod aliquis fortasse ex hoc ipso contendat, Noë etiam Diluuium hìc repræsentetur, integrum cuique relinquimus. Mihi certè arridet magis ob ea, quæ inferiùs dicentur, ad Deucalionis, & Pyrrhæ Cataclysmum in Nummo nostro allusum fuisse; aut saltem (quod in idem recidit) confusa apud Syros inanibus figmentis antiqua veritatis traditione, Noë Diluuium ad Deucalioneæ fabulæ speciem ab Apamensibus expressum.

Superest nunc, vt quid hæc Deucalionei Cataclysmi repræsentatio ad Apameam Syriæ attineat, paucis ostendam. Lucianus itaque (nam rei huius origo paulò altius repetenda)

tenda)

tenda) in eo, quod superiùs citauimus Syntagmate de Dea Syria, quo Hierapolitani Templi non minus antiquitate, quàm religione celeberrimi historiam fusè persequitur, inter alias, quæ de eius conditoribus apud Hierapolitanos opiniones ferebantur, illam quoque extitisse narrat, Deucalionem, cuius temporibus aquarum diluuium fuerat Templum illud dedicasse; idque vt faceret ei occasionem præbuisse, quod ipsi etiam incolæ Sacræ Ciuitatis memorabant, eò loci, vbi extructum deinde Templum ingentem olim voraginem factam, quæ vniuersam Diluuij aquam absorbuerit: hanc supra extruxisse Deucalionem ædem Iunoni sacram, quo etiam nomine ab ipsis Dea illa Syria colebatur. Similis apud Pausaniam fabula de huiusmodi voragine in Templo Iouis Olympici Athenis, vt vulgò credebatur, à Deucalione extructo, in quam etiam vniuersam Diluuij aquam defluxisse fama erat, ac nescio cuius religionis ritu, quotannis placenta è melle, & farina proijciebatur. Vt verò ad Lucianum redeamus, quid in eius, quam diximus rei memoriam ab Hierapolitanis fieri solitum esset, narrat idem his verbis. Δὶς ἑκάστου ἔτεος ἐκ θαλάσσης ὕδωρ ἐς τὸν νηὸν ἀπικνέεται. Φέρουσι δὲ οὐκ ἱρέες μοῦνοι, ἀλλὰ πᾶσα Συρίη, καὶ Ἀραβίη, καὶ

In Attic.

πέρηθεν τοῦ Εὐφρήτεω, πολλοὶ ἄνθρωποι ἐς θάλασσαν ἔρχονται, καὶ πάντες ὕδωρ φέρουσι, τὸ, πρῶτα μὲν ἐν τῷ νηῷ ἐκχέουσι. μετὰ δ', ἐς τὸ χάσμα κατέρχεται, καὶ δέχεται τὸ χάσμα μικρὸν ἐὸν ὕδατος χρῆμα πολλόν. Τὰ δὲ ποιέοντες, Δευκαλίωνα ἐν τῷ ἱρῷ τόνδε νόμον θέσθαι λέγουσι, συμφορῆς τε, καὶ εὐεργεσίας μνῆμα ἔμμεναι. *Bis quotannis ex mari aqua in ædem defertur: quam non ſacerdotes modò ferunt, ſed tota Syria, & Arabia, & qui trans Euphratem habitant, multi homines ad mare veniunt, indeque omnes aquam afferunt, quam in ædem primùm effundunt: deinde ea in hiatum delabitur; ab eo, quamuis paruo, ingens copia recipitur. Qui hæc faciunt Deucalionem eo in Templo legem hanc tuliſſe dicunt in calamitatis, & beneficij monumentum.* Verùm tum eius Cataclyſmi, tum ipſius etiam Deucalionis, alia quoque in Hierapolitano Templo monumenta extabant. Namque & ij, qui coloſſeos illos trecentarum vlnarum Priapos, quos Bacchus in veſtibulo Templi dedicaſse dicebatur, quotannis certis temporibus aſcendebant, ac dies ſeptem, ita religione ſuadente, in eorum apicibus commorabantur, id Deucalionis gratia facere à nonnullis exiſtimatum refert Lucianus idem, in memoriam calamitatis: ὁκότε οἱ ἄνθρωποι ἐς τὰ οὔρεα, καὶ ἐς τὰ περιμήκεα τῶν δενδρέων ἤεσαν, τὸ πολλὸν ὕδωρ ὀῤῥωδέοντες, *quando homines in montes, & in altiſſimas*

arbo-

arbores aſcenderunt aquarum inundationem metuentes. His illa etiam addenda, de aureo ſigno, quod in interiore Templi parte, medium inter ſimulacra Iouis, & Iunonis poſitum erat; quodque alij quidem ad Bacchum, alij ad Semiramidem, alij verò ad Deucalionem certiori, ni fallor, coniectura referebant. Vetuſtiorem quippe originem, quàm Semiramidis temporibus conueniat, illamque Deucalionei planè æui, quod propter obſcuritatem ἄδηλον à veteribus Chronologis appellatur, ea redolere videntur, quibus ſignum illud deſcribit Lucianus digna ſanè, quæ ſilentio minimè prætereantur. Ἐν μέσῳ δὲ ἀμφοτέρων (inquit ille), ἕστηκε ξόανον ἄλλο χρύσεον, οὐδαμᾶ τοῖσι ἄλλοισι ξοάνοισι εἴκελον. τὸ δὲ, μορφὴν ἰδίην οὐκ ἔχει, φορέει δὲ τῶν ἄλλων Θεῶν εἴδεα. καλέεται δὲ σημήϊον, καὶ ὑπ' αὐτῶν Ἀσσυρίων. οὐδέ τι οὔνομα ἴδιον αὐτῷ ἔθεντο, ἀλλ' οὐδὲ γενέσιος αὐτοῦ πέρι, καὶ εἴδεος λέγουσι. *Porrò in vtriuſque medio* (Iouis nempe, ac Iunonis) *ſtat ſimulacrum aliud aureum, ſimulacris alijs nequaquam ſimile, quod formam propriam non habet, ſed aliorum Deorum formam gerit: & ab ipſis etiam Aſſyrijs vocatur Signum: nec dum ipſi proprium nomen impoſuere: ſed neque de generatione ipſius, neque de ſpecie quicquam dicunt.* Quod verò columbam ſigni illius vertici inſidentem ij opponerent, qui id ſimulacrum ad Semira-

midem pertinere exiſtimabant; non certum adeò eius rei indicium erat, vt ad Deucalionem etiam referri non poſset. Scio equidem Semiramidem Columbæ ſpecie ab Aſsyrijs coli ſolitam, quod etiam nominis Græcè, περιστερὰν ὄρειον, *Columbam montanam*, ſignificare tradit Heſychius, reclamante tamen Scali-
Pag. 37. gero in Euſebianis: verùm ex hoc ipſo contrarium potiùs colligi, meo quidem iudicio, potuiſse videtur. Nam ſi Columbæ ſpecie Semiramis ab Aſsyrijs colebatur, haud ritè ſatis, ac rectè ſignum illud Semiramidem repræſentare videri poterat, in quo ſcilicet columba non primas partes obtineret, ſed tanquam rei alterius ſignum eſset. Neque enim arbitror, ſi aut Noctuæ ſpecie Mineruam, aut Pauonis Iunonem Veteres coluiſſent, rectè ad eorum Theologiam is feciſſet, qui harum Dearum ſimulacris, Noctuam, aut Pauonem in vertice appoſuiſſet, quas Numinibus ijs deſignandis adhibere conſuetum eſſet. Simulacri etiam virilis ſpecies, quæ Baccho, aut Deucalioni quadraret, Semiramidem vix aptè referre poterat. Contra verò Deucalionem à columba vertici inſidente deſignari probabile eſt ob inſignem operam ab ea Deucalioni nauatam, in deferendo dilabentium aquarum indicio; eóque etiam fortaſſe ſpectabat, quod Galli, qui Deæ ſacra adminiſtrabant,

bant, Columbam, χρῆμα ἱρώτατον, *rem sanctissimam*, vt Luciani verbis vtar, haberent, quam neque tangere æquum existimarent, ac si inuiti tetigissent, eo die, ἐναγέες, *execrabiles* haberentur. Sed hæc ambigua forsitan, quæque in vtranuis partem accipi possint: illud ad Deucalionem id simulacrum pertinere non obscurum indicium, quòd in ea ipsa pompa, qua bis quotannis aqua è mari ad Templum deferebatur, signum istud portaretur. Quid enim Baccho, aut Semiramidi commune cum Diluuio, in cuius ἀνάμνησιν id fieri solitum ex Luciano didicimus? Ex his ergo omnibus manifestum est, ingentem in celeberrimo illo Deæ Syriæ Templo, Deucalionis, ac Diluuij, quod sub ipso fuit, memoriam viguisse. Quàm verò magna fuerit eius Templi religio, quàmque latè propagata apud finitimas nationes hinc conijcere licet, quod & inde Hierapoli nomen, hoc est sacræ Vrbi factum sit ei, quæ aliàs Plinij testimonio Bambyce, Strabonis verò etiam Edessa appellata; tum etiam ex ijs, quæ de eius Donarijs, atque opibus, déque incredibili gentium ad illud concursu, occasione annuarum celebritatum, Lucianus memorat. Quamobrem vix dubium esse possit, quin eiusdem Templi religiones, ac sacra in diuersas regiones fuerint translata; ne dum Apameam, quæ in eadem Prouincia erat, at-

Lib. 5. c. 23
Lib. 16.

que

que ab Hierapoli non longè diſtans. Quin & à vero haud ita prorſus aberrarit, qui alias quoque huius nominis vrbes (harum namque tres aliæ à Stephano recenſentur) à celeberrima illa Syriæ, ſacra ſimul, ac nomen mutuaſſe arbitretur. Quicquid enim ſit de illis duabus, quarum vnam in Creta, alteram in Caria ponit Stephanus, illam certè, quæ inter Phrygiam, & Lydiam dicitur, quæque, vtpote fontium copia, ac lanarum tinctura nobilis à Strabone laudatur, eius, quæ in Syria erat veluti coloniam fuiſſe non contemnendum indicium eſt, quòd in eius deſcriptione Gallos, tanquam templi neſcio cuius miniſtros Strabo idem memoret, quales in Hierapolitano illo Deæ Syriæ fuiſſe ex Luciano audiuimus. Huius profectò Sacrorum inter diuerſas vrbes communionis non rara in antiquitate exempla reperire eſt. Cereris Myſteria eodem ritu, quo Eleuſine, peragi ſolita apud Pheneatas teſtis Pauſanias; Eleuſina verò eadem cum Samothracijs fuiſſe, aut altera ex alteris deducta, liquet ex Diodoro: Samothracia in Lemnum, & Imbrum propagata Strabonis, atque Euſtathij autoritate oſtendit Hieronymus Aleander. Dianæ Tauricæ ſacra non ſolùm Ariciam translata, quod notiſſimum eſt; ſed Spartam quoque, in vicum Limnæum, & alibi in Cappadocia, & Ponto:

Lib. 13.

In Arcad.

Lib. 3. & 5

In Explic. Tab. Heliacæ.

qua

qua de re insignis extat Pausaniæ locus in Laconicis. De Persica verò eruditè, more tuo, ipse obseruasti, illam non modò Hierocæsareæ coli solitam, quod ex rarissimo Nummo Musei tui ostendis; sed etiam Castabalis Ciliciæ Oppido, Hypæpis, & alibi in Lydia. Quid Iupiter ille Cretensis, seu Critagenes, aut Marnus, qui cùm in Creta, & Gazæ præcipuis honoribus, tùm vero à Corinthijs, Atheniensibus, Boeotijs, nomine ὑετίȣ, ac ὀμβρίȣ colebatur; vt disertè probat Tristanus? Quid Casius, qui & Seleuciæ Pieriæ, vt ex Nummis satis constat, & apud Pelusium, atque alibi multis in locis, quod Tristanum virum eruditissimum non fugit? Quòd si à Nummis exempla petenda sint, quod ad rem nostram magis facit, proferam è CHRISTINAE Reginæ Thesauro vnum Domitiani, in quo ΠΥΘΙΟС ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, *Pythius Trallensium*; idem sane, qui disertius, ΑΠΟΛΛΩΝ ΠΥΘΙΟС in alio Neronis è Museo Magni Etruriæ Ducis, qui sanè ad aliquam aliam Græcarum vrbium pertinet. Proferam itidem rarissimos ΝΙΚΑΙΕΩΝ in Antonino Pio, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ in M. Aurelio, aliumque eiusdem Augusti insignem, cuius inscriptio, ΕΠΙ Μ. ΤΟΥΛΛΙΟΥ ΜΑΞΙΜΟΥ ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ, in quibus omnibus eadem Deæ Syriæ effigies, quæ in Nummis

In Plautilla num. 6.

In Traiano num. 7.

IEPA-

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ Philippi, & aliorum etiam Cæſarum. Dianæ vero *Venatricis* Iconem, quo cognomine non vno in loco illam coli ſolitam autor Pauſanias, non ſolùm exhibebo in Nummo Pergæorum Agrippinæ, in quo ΑΡΤΕΜ. ΠΕΡΓΑΙΑ, *Diana Pergæa*, & Gazæ, qui ad Fauſtinam pertinet; ſed in alio etiam Fauſtinæ ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ, & Elagabali ΕΦΕϹΙΩΝ, atque in rariſſimo Agrippinæ ΑΚΜΟΝΕΩΝ, quem nuper edidit Carolus Patinus veſter. Ac demum, vt ſemel omnia dicam, vtar exemplo, quo nullum illuſtrius ſit apud eos, qui in Nummis verſantur, à Dianæ Epheſiæ cultu petito, cuius effigiem eadem planè forma, qua in celebri illo Epheſino templo colebatur, cernere eſt in inſigni Nummo Apameæ Phrygiæ, apud Triſtanum, & in ſelectis ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ in Traiano, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ in L. Vero, ϹΑΜΙΩΝ in Geta, & rariſſimis Auguſtarum, ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ nempe in Domitia, ΑΓΚΥΡΑΣ in Plotina, & ΦΑΝΕΑϹ ΠΟΛΕΟϹ ϹΥΡΙΑϹ in Fauſtina. Neque reticebo, quando id & locus ipſe ſuadet, & opinioni noſtræ etiam ſuffragatur ſuſpicionem, quam habeo, ΟΜΟΝΟΙΑΝ illam in Nummis, cuius ſupra mentionem fecimus, aliquando ad Sacrorum communionem iſtam inter diuerſas vrbes ſignificandam adhibitam fuiſſe. Moueor enim

In Gordiano num. 19.

Ex Theſ. Reg.

exem-

exemplo duorum ſingularium Nummorum, in quorum altero, qui ad Gordianum pertinet, ΕΦΕΣΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ legitur; in altero, qui ad Domitianum ΟΜΟΝΟΙΑ CΜΥΡ. ΕΦΕCΙΩΝ. In hoc enim vnica Dianæ Epheſiæ cernitur effigies; in illo verò eiuſdem ſimulacrum in Naui poſitum, cui prope adſtat altera figura alata, quod ad delata Epheſo Alexandriam Deæ huius ſacra non ineptè referri poſſe arbitror: vt contra de Iſiacis Alexandria Epheſum translatis accipi commodè poſſit alter Gordiani, in quo ΕΦΕCΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, & figura Iſidis Velificantis, qualem etiam habet alius *Col. Iul. Cor.* in Antonino Pio, qui ſanè Corinthi quoque peculiaribus honoribus cultam fuiſſe Iſidem argumẽto eſt; quemadmodum apud Elaitas etiam, quod colligere licet ex ſingulari, atque eximiæ raritatis Græco Nummo, qui altera quidem parte caput Romæ oſtendit, vt prodit inſcript. ΘΕΑ ΡΩΜΗ, altera verò figuram Iſidis pectore tenus expreſſam, cum inſcript. ΕΠΙ CΤΡ. Γ. CΑΛΩΝΙΟΥ ΕΛΑΙΤ. Nihil autem magis coniecturæ noſtræ fauet, quàm præclarus alter Græcus itidem Nummus, cuius in anteriori parte circa Alexandri Macedonis caput, ΑΛΕΞΑΝΔΟC (ſic habent conſtanter duo, quos adhuc vidi) ΚΤΙCΤ. *Ex Muſeis Reg. & Chiſio.*

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑC, in auersa verò figuræ duæ muliebres, quæ simul dextra Templum sustinent, in quo duo pariter simulacra cernere est; vt nihil illustrius fieri potuerit ad significandam communionem sacrorum inter duas vrbes, quarum nomina habet inscriptio, ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. Quos quidem Nummos ex insigni, ac planè regio CHRISTINAE Reginæ Museo, aliosque etiam, quorum superiùs mentionem feci, non tam publici iuris facere placuit, vt coniecturæ meæ lucem afferrem; quàm vt rei Nummariæ studiosis præclarissimos Nummos, ac nunquam antea editos veluti indigitando, intactum ijs campum patefacerem ad vberiorem eruditionis fructum percipiendum.

Verisimile itaque fit illustribus, quos adduximus, exemplis, ab Hierapolitano Templo vnà cum Deæ Syriæ sacris, ac religionibus communicari etiam cũ Apamensibus potuisse Deucalionei Cataclysmi memoriam, eodem fortasse ritu quotannis celebrandam, quo, Deucalionis ipsius præcepto apud Hierapolitanos fieri consueuerat. Hæc si cuipiam minimè arriserint, ille saltem haud negabit, opinor, rei huius, tanquam in Syria, ob ea, quæ de Hierapolitano Templo ex Luciano attulimus, sanè celeberrimæ repræsentationem,

nem, in Apamensium Nummis excudi facilè potuisse. Sed in eo fortasse controuersiam mouebunt nonnulli, quòd cùm in Nummo illo Seueri, in quo eadem exhibentur, Magnetum pariter, atque Apamensium nomina legantur, Cataclysmi historiam in Numismatibus suis repræsentare, non tam Apamenses Syriæ, quàm qui in Phrygia erant fuisse solitos. Nam ΜΑΓΝΗΤΩΝ Phrygię à Strabone mentio fit; & Μαγνησίας πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ in fœdere Smyrnæorum, ac Magnetum, ex illustri marmore Arundelliano apud Seldenum: quocirca, cùm harum duarum vrbium in eo Nummo coniunctio, fœderis alicuius inter ipsas, aut, quod Vir eruditissimus censuit, coloniæ ex altera in alteram deductæ indicio sit; vtrauis tandem de caussa id acciderit, Apamea, ad quam Nummus ille pertinet, rectius ob Magnetum vicinitatem, Phrygiæ, quàm Syriæ esse dicatur. Neque ego in hoc illis vehementer repugnem; addamque potiùs, quibus coniecturam suam confirment si libeat, nonnulla circa Apameam Phrygiæ obseruatione sanè digna, quæ deliberanti mihi, Apameæ ne Syriæ, an ei, quæ in Phrygia fuit Nummum hunc Philippi adiudicarem, animo se se obtulerunt. Fuit enim cùm me ancipitem teneret cognomentum illud κιβωτȣ̃, *Arcæ*, quod

Lib. 12.

In Marmor. Arundel. Pag. 30.

à non paucis Scriptoribus Apameæ Phrygiæ, tanquam proprium, ac peculiare tribui videbam : cùm interim de eius origine apud illos altum esset silentium. Neque satis omnino mihi, vt tum fuit, Salmasius faciebat, cuius opinio fuit Apameam illam, κιβωτὸν fuisse vocatam, quòd, vt est apud Strabonem, emporium esset, & receptaculum, ac velut Arca mercium communis totius Asiæ. Namque occurrebant alioquin animo illa autoris Sibyllinorum Oraculorum carmina.

Lib. 1.

Ἔστι δέ τις Φρυγίης ἐπὶ ἠπείροιο μελαίνης,
Ἠλίβατον τανύμηκες ὄρος Ἀραρὰτ δὲ καλεῖται,
Ὅττ' ἄρα σωθήσεσθαι ἐπ' αὐτῷ πάντες ἔμελλον.
Ἐν τούτῳ μεγάλη δὲ ποθὴ καταθύμιος ἦεν.
Ἔνθα φλέβες μεγάλου ποταμοῦ Μαρσύου πέφυκαν.

Geograph. Sac. Lib. 1. cap. 3.

Siue, vt versus ratio constet, quemadmodum legit Bochartius.

(Μαρσύου ἔνθα φλέβες μεγάλου ποταμοῖο πέφυκαν.)
Τοῦ δὲ κιβωτὸς ἔμεινεν ἐν ὑψηλοῖο καρήνῳ
Ληξάντων ὑδάτων.

Assurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt,
Quòd fatale fuit illic euadere cunctis,
Optataque frui tandem, charaque salute :
Fluminis vnde alti Marsyæ manat origo.
Huius in excelso postquam cessantibus vndis
Constitit Arca iugo.

In quibus, quòd Arcæ mentio fiebat delatæ

ad

ad montem Phrygiæ Ararat prope Mæandri fontes, adeòque non longè ab Apamea, nonnihil ſuſpicionis inciderat, ne quod vrbi illi cognominis erat, κιϐωτὸς, ob veterem fortaſſe aliquam fabulam de commentitio Græcorum Cataclyſmo, ſuppoſititius Scriptor auidè in rem ſuam arripuiſſet, ad ineruditum commentum de Arcæ Noëmicæ eò loci appulſu pro Sibyllino Oraculo venditandum. Ego verò coniecturam meam vix proponere auſus eſſem, niſi eam Viri erudítiſſimi autoritate niti poſtea cognouiſſem, cui in præclaro opere de Geographia Sacra eadem ferè placuiſſent. *Lib. 1. cap. 3* Cæterùm, vt idem doctè monet, atque obſeruat etiam Triſtanus, mirificè hoc loco nugatus eſt noſter, ſi id credidit. Aliæ enim ſubeſſe potuerunt cauſſæ, cur Apamea illa, κιβωτὸς fuerit appellata, quàm quòd in proximo Arca conſtitiſſet: vnamque haud minus certè iſta probabilem affert Triſtanus *In Gordian. num. 19.* idem, quòd Apamea à tribus fluuijs illam ambientibus, Marſya, Obrima, Orga in Arcæ modum clauderetur; quemadmodum & vnus ex Alexandriæ portubus, teſte Strabone, κιβωτὸς *Lib. 17.* dictus, eò quod, vt ex eius deſcriptione conijcere licet, vndique concluſus eſſet. Tunc verò demum de origine huius Apameæ cognominis placere magis cæpit Salmaſij opinio, cùm hæc ipſa animo verſanti mihi, recordatio

Ex Thes. Reg. datio subijt insignis Nummi ad Hadrianum pertinentis, in quo figura fluuij sedentis inter præruptæ rupis scopulos, à quo sine dubio Marsyam repræsentari, cùm ea argumento sunt, quæ de eius origine ex arce summa Celænarum tradunt Scriptores, tùm verò apertè prodit Nummi ipsius inscriptio, ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΑΡϹΥΑϹ ΚΙΒΩΤΟϹ. *Apamensium Marsyas Arca*; qua inscriptione ad prouenientem ab eo flumine Apamensi agro fertilitatem, meo quidem iudicio, alluditur: quemadmodum haud abs re diceret, qui, aut Sequanam Lutetiæ vestræ penu; aut Tyberim vrbis Romæ diuitias appellaret. Quòd si minus nauigatione Apamensibus Marsyas profuit, quòd eum σφοδρῷ, καὶ κατωφερεῖ τῷ ῥεύματι, *vehementi, atque præcipiti fluxu* Apameam præfluxisse liquet ex Strabone; vnde fortasse καταῤῥάκτης Herodoto dictus; irrigandis agris certè vtilis esse potuit, atque ex eo abundè vbertatis Apamensium vrbi illatæ laudem promereri. Eodem itaque sensu Apameam ipsam *Ciboton* appellatam libenter crediderim, quæ, quod ipsi Marsyas erat, Arca esset Asiæ, vt Strabonis etiam verbis vtar, τῆς ἰδίως λεγομένης, hoc est eius, quæ vul-
Lib. 12. gò *minor* dicitur, cuius, eodem Strabone teste, ἐμπορεῖον μέγα, magnum, ac celebre emporium erat. Cui ergo Seueri Nummum,

quem

quem diximus, Apameæ Phrygiæ adſcribere libeat, ad Hierapolim itidem Phrygiæ, me non inuito, eorum, quæ in eius auerſa habentur, originem, haud incommodè referat: quò, ſicuti ab Hierapoli Syriæ vnà cum nomine, ſacrorum quoque communionem, ſimulque vetuſtas Deucalionei Diluuij religiones propagatas, haud eſt à vero omnino alienum; ita ex ea, in eiuſdem prouinciæ vrbem Apameam eaſdem transferri potuiſse nihil repugnat; niſi (quod alicui fortaſse placuerit magis) religioſæ huius Cataclyſmi memoriæ originem, ex Apamea Syriæ in hanc Phrygiæ deducere ſatius videatur. Horum enim vtrunque ne cuipiam inueriſimile videri poſſit, illuſtribus iam allatis exemplis ſacrorum, ac rituum ex vna in plures, ac diuerſas vrbes deductorum, vt arbitror, effecimus. Ac de Nummo quidem Seueri liberum cuique iudicium eſto. Mihi verò liceat interim coniecturæ meæ indulgere in noſtro Philippi, Apameæ Syriæ, quod initio monui, tribuendo. Nam Arabi Imperatori à Syriæ potius vrbe, quàm Phrygiæ Nummum hunc percuſsum vehementer mihi perſuadet, cùm prona, vt nulla magis in adulationem Syrorum natio, ſi quid Polybio fidei; tùm verò maximè pe- *Lib. 5.*
culiaris, quæ Syris cum Arabibus erat coniunctio, ac veluti neceſſitudo, ſiue διὰ τὴν ἐκ

τοῦ

τοῦ ὁμόρου ἐπιμιξίαν, ob quam Arabas etiam Syros à nonnullis appellatos Eustathius docet, siue, quod rectè monet Seldenus, ob peculiarem vtrique genti sacrorum, ac religionis communionem. Notabile ea de re est Strabonis testimonium. Τὸ τῶν Ἀρμενίων ἔθνος, καὶ τὸ τῶν Σύρων, καὶ τῶν Ἀράβων πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνει κατά τε τὴν διάλεκτον, καὶ τοὺς βίους, καὶ τοὺς τῶν σωμάτων χαρακτῆρας. *Armeniorum, Syrorum, & Arabum gentes multum præseferunt cognationis sermone, vita, & corporum forma*. Quamobrem euecto ad rerum humanarum fastigium homine Arabe, probabile est Syros, si quos alios, in populari veluti suo ornando, colendoque honoribus certasse. Quod sanè in hac obsequij parte quæ Numismatum percussione constat, abundè eos præstitisse, arguunt frequentes in Philippo Syriacarum vrbium Nummi, quarum in ijs (si latè adeò accipienda est Syria, quàm doctorum virorum opinione patuit olim) nomina occurrunt, ΖΕΥΓΜΑΤΕΩΝ nempe, ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, ΦΛ. CΑΜΟCΑΤΕΩΝ, CΕΛΕΥΚΕΩΝ, ac Nisibitarum etiam, quorum, in Thesauro Magni Ducis Nummus rarissimus extat cum inscriptione, ΙΟΥ. CΕΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕCΙΒΙ ΜΗΤ. Id etiam illustrius patet ex insigni Nummo æreo maximo eiusdem Philippi, qui inter rariores Musei

Chi-

In Scholijs ad Dionys. Perieg. pag. 119.

De Dijs Syr. Syntagm. 2. c. 4.

Lib. 1.

Chiſij numerandus eſt. In eius auerſa, quam hìc formis excuſam damus, Leo gradiens affabrè expreſsus, ante quem Thyrſus erectus, ac lemniſcis concinnè vinctus. Supra Leonem neſcio quid cernitur, quod nonnullis ædicula, alijs verò genus quodpiam Galeri Sacerdotalis videtur, ob eas, quas ex eo dependentes vittas credunt. Extat in Muſeo Barberino Apamenſis alter ad Commodum pertinens huius plane geminus, ſi inſcriptionem excipias, quæ eſt huiuſmodi, AΠAMEΩN ΠAPACTPAT. NIKIANOY. Ego verò de explicatione huius Apamenſis nummi amplius deliberandum cenſeo, neque de ea ſeriò diſſerendi hìc locus. Vnum tantùm, quod in mentem venit, obiter proponam, num, quando ob thyrſum appoſitum aliquid hìc latere, quod ad Bacchum pertineat licet conijcere, ea fortaſſe Bacchi Ciſta, ſeu potius Arca ſit, non illa quidem Myſteriorum, quam paſſim videre eſt in Nummis KPHTAIΩN, KΩPYKIΩN, KYΔAIΩN apud Goltzium, recluſam nempe, ac ſerpente ex ea prodeunte; ſed ea, cuius iam ſuprà meminimus, ab Eurypylo Troiani excidij temporibus pro virili prædæ parte acceptam, quam ab Eurypylo ipſo Patras delatam autumabant eius vrbis incolæ; apud quos quod in ea aſſeruabatur Bacchi ſimulacrum, Aeſymnetæ cognomine, præ-

cipuis honoribus colebatur; qua de re multa Pausanias in Achaicis. Sed iam ex Nummi ipsius conspectu de hoc decernere vnicuique liceat. Ipsum namque quàm diligentissimè fieri potuit excudendum curauimus.



Quod autem ad rem nostram facit, notanda eius inscript. ΕΠΙ.Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΥ. Β. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. Ex ea enim constat percussum fuisse hunc Nummum ab Apamensibus eodem anno, quo alter à me explicatus in quo, vt hìc, *M. Aurelij Alexādri, II. Pontificis Apamensium* nomē legitur. Nam ἀρχιερέως nomine, tanquam ἐπωνύμου τοῦ ἐνιαυτοῦ, seu *annum designantis* Fastos cōsignari solitos in Græcis vrbibus, ex Nummis, atque lapidibus manifestum est; vt & nos monuimus in Notis ad Inscriptiones Athleticas, & multis adstruit Seldenus ad insigne illud marmor fœderis Smyrnæorum, & Magnetum, quod, ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΗΓΗΣΙΟΥ ΣΤΕΦΑΝΗ-

In Marmor. Arundel. pag. 135.

ΦΟΡΟΥ

ΦΟΡΟΥ ΔΕ ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ, *Sub Pontifice* (Smyrnæorum) *Egeſia*, *Pythodoro autem* (Magnetum) *Stephanephoro*, ſancitum legitur. In hoc verò M. Aurelio Alexandro, ſi cuipiam, quæ de deductis è Templo Hierapolitano Apameam ritibus, ac religionibus diximus, probabuntur, facilè ſacerdotalis illius dignitatis veſtigia mecum agnoſcet, cuius fortaſſe vſus, vt alia multa, ab Hierapolitanis ad Apamenſes transferri potuit. De Hierapolitani illius prærogatiuis hæc Lucianus Syntagmate iam ſæpius citato de Dea Syria. Ἀρχιερεὺς δὲ ἄλλος ἑκάστου ἔτεος ἐπιγίγνεται. πορφυρέην δὲ μοῦνος οὗτος φορέει, καὶ τιάρῃ χρυσέῃ ἀναδέεται. *Summus autem ſacerdos alius quotannis ſurrogatur: qui ſolus purpuream veſtem gerit, & aurea tiara redimitur.* Illud verò BEΛ. quod in hac ipſa inſcriptione legitur, annon torquendis eruditorum ingenijs factum videatur? cuius enim id vocabuli initium eſſe dicendum ſit, quod huic loco quadret? Porrò in eo à me diſsenſurũ neminem exiſtimo, quin, (quicquid tandem vocabuli id ſit) ad ſequens Ἀρχιερέως, referri debere cenſeat. Quò enim aliò pertinere vox ea poſſit, quæ inter illud Ἀρχιερέως, Sacerdotij dignitatem, ac B. dignitatis ipſius obitẹ numeralem notã poſita ſit? Quòd ſi hic quoque diuinandum eſt, dicam, quod Nummum conſideranti mihi vni-

cè occurrit, eòque libentius dicam, quod coniecturalem hanc interpretationem meam, vt vt ab alijs accipienda sit, tibi certè non omnino displicuisse cognoui. Nihil igitur aliud, quantùm suspicari licet, illo BEΛ. denotatur, quàm BEΛTICTOY, vt inde M. Aurelio Alexandro, ad *Pontificis* dignitatem, *optimi* quoque, seu potius *præstantissimi* titulus accedat. Scio equidem, rem nouam in re Nummaria, atque exemplis minimè fultam à me proponi. Sed quanuis huiusmodi Sacerdotiorum epitheta reperire in Nummis minimè sit; ijs non semel insignita Magistratuum nomina habent veteres lapides, in quibus appellationes leguntur, ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΥ ΕΠΑΡΧΟΥ, aut ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Illustrissimi*, seu *clarissimi Prætoris*, aut *Proconsulis*. CEMNOTATOY APXONTOC, *præclarissimi Archontis*, ΕΞΟΧΟΤΑΤΟΥ ΠΡΟΦΗΤΟΥ. *Præstantissimi Prophetæ*, quod etiam Sacerdotij genus est, vt nosti. Atque in Nummis ipsis, licet, vt diximus, haud peculiariter adhibita huiusmodi epitheta ad appellationes Sacerdotiorum, non ignotus omnino eorum vsus, cuius exemplum præferunt Nummus rarissimus Valeriani, in quo tria vasa cum palmis, & inscript. MEΓICTΩN APICTΩN NIKAIEΩN, & alter itidem rarissimus Gallieni, cuius in corona è lauro inscript. CIΔHTΩN ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗC

Ex Thes. Reginæ.

Ibidem.

EN-

ΕΝΔΟΞΟΥ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vbi Sidam, illam, vt exiſtimo, Pamphyliæ vrbem, Cumæorum coloniam, *clariſſimæ*, ac *nobilis* epithetis inſignitam vides. Sed vt Philippi Nummos fœcundos vſquequaque oſtendam rerum inſolitarum, duobus ijs, quorum antea mentionem feci, tertium addam æreum itidem maximum ex Muſeo Ioannis Pauli Ginnetti vtriuſque Sign. Ref. Habet is in anteriori parte, vtriuſque Philippi, atque Otacillæ etiam capita, cum inſcriptione, CONCORDIA AVGVSTORVM. In auerſa verò Templum rotundæ ſtructuræ, ac columnis etiam fultum, in cuius faſtigio Aquila, in eius verò medio, quò per gradus acceſſus patet, ſimulacrum cernitur, quod Apollinis eſſe oſtendit inſignis inſcriptio, EX ORACVLO APOLLINIS. Qui ſanè Nummus, cùm indubitatæ antiquitatis ſit, vt noſti, documento ijs eſſe poterit, qui, quos ipſi oculis nō vſurparunt nouitate quoquo modo ſingulares, continuò falſitatis damnant; mihi verò etiam prçſidio, vt ducto è re ſimili exemplo niſus, facilius penes eos, qui hæc legerint fidem inueniam, quam tu mihi, VIR DOCTISSIME, pro ea, qua apud eruditos autoritate polles, patrocinio tuo etiam conciliabis. Illud vereor potius, ne audaciæ in eo notam ſubierim, quod, vt vulgò aiunt, coram Roſcio geſtum facere

vo-

voluiſse videar. Sed, vtcunque tandem res ceſſerit, præclarè mecum actum putabo, ſi vel vni tibi coniecturam meam probauerim; quòd vt me conſecuturum ſperem, tua facit ſingularis humanitas: cæteris verò perſuadeam, me non ad aucupandam ingenij, aut eruditionis laudem, à qua plurimum me abeſse facilè intelligo; ſed, quod initio profeſsus ſum, deſiderio teſtatam publicè faciendi obſeruantiam erga te meam, hæc de Apamenſi Nummo pro mea tenuitate diſseruiſse.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 2. l. 2. fœnerantur Pag. 9. l. 11. *νῦν*. Pag. 13. l. 17. aliàs Pag. 49. l. 1. habuere Pag. 55. l. 10. Eleos. Ibidem lin. pen. Eleorum Pag. 62. l. 21. *ποτιόλοις*. Pag. 76. Caſaubonus, *bis*. Pag. 94. l. 9. *σοφιστὴς*. Ibid. l. 28. *δισυπάτου*. Pag. 108. l. 2. *οἰκουμένη* Pag. 124. *in Marg.* in C. Cæſ. Pag. 130. lin. 1. *ὀνόματος*. Pag. 139. l. 5. *ματρὸς*. Pag. 154. l. 12. loquatur? Pag. 181. l. 1. concordem Pag 182. l. 17. Epitomen Pag. 189. l. 20. *ὑδατόεντος*. Pag. 201. lin. 21. inhabitabilem. Pag. 206. lin. 8. *ἔτι*.



